QVÆSTIO
DE ADAEQVATO
PHILOSOPHIÆ NATVRALIS
OBIECTO.

IVXTA MENTEM IOANNIS DVNS SCOTI
ſubtilium Principis.

HAC TEMPESTATE VALDE VTILIS,
& ad rectè naturaliter philoſophandum apprimè neceſſaria.

A V C T O R E
ADM. R. P. FRANCISCO ANTONIO BLVNDO
à S. Seuerino Ord. S. Franciſci Min. Conu. Sac. Theol. Doct.
in Romano Seraphico Colleg. S. Bonauenturæ Regente,
ac Rectore meritiſsimo, & Eminentiſsimi Domini
Cardinalis COLVMNAE Theol. ſingulariſs.

Ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſs. D.

PETRVM ABBATEM COLVMNAM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
110 2

R O M Æ,
Ex Typographia Ludouici Grignani. M DC XXXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

ILL.MO AC REVER.MO PRINCIPI

Patrono Colendiſsimo

D. PETRO ABBATI COLVMNÆ.

FR. CAROLVS BERGALLO DE PANORMO
Franciſcanus in Seraphico S.Bonauenturæ Romano
Collegio Sac. Theol. Baccallaureus.

PROLOGOMENAM Quæſtionem hanc de vniuerſæ naturalis Philoſophiæ ſubiecto, quam è manibus Adm.R.P.M. Franciſci Antonij Blundi à S.Seuerino huius Collegij Regentis, ac Rectoris, & Præceptoris mei dilectiſsimi vi extortam, Typis committere decreui, ſicut de benè Scoticè philoſophandum viam parat expeditiorem; ita cùm ſola ſit, vt à tot criticorum ictibus percluſa, & aduerſantibus argumentorum telis inflixa, conſtantior magis vigeat inconcuſſa, protectionis tuæ Columnæ alligatam orbi præbere non haſitaui. Nam aliud non expoſcebat Columnarum Patrocinium, niſi quod armis nobilitateq; Martis corruſcans, Mineruæ ſe præbet addictum; Tuum igitur munus erit te inuocantem benigno excipere ſinu, Philoſophiam, cui cùm enixè nauaueris operam, ſtudioſorum aſſequutus videris fœlicitatem, tuæq; benignitatis exiguum immenſi affectus mei munuſculum, obſequij erga te teſtimonium agnoſcere; ipſum enim tuæ humanitatis coaleſcens tutela ad maiora debiti ſoluenda pignora aggreditur in dies ſeruitutis argumenta. Vale.

AD

AD AVCTOREM

PRÆCEPTOREM SVVM COLENDISS. obſeruantiæ ergo Diſcipulus amantiſs. F. Petrus Martini ex Prouincia Argentoratenſi S. Eliſabethæ ſacra, Profeſſus in Monaſterio Mayngano.

Obiectum Phyſices ſubtili indagine quæris,
Et rectè Phyſicum corpus, id eſſe doces.
Namque φυσις *phyſico phyſicos in corpore motus*
Dum parit, hoc Phyſices vt ſit imago, facit.
Motus naturæ comes eſt, naturaque motus
Hinc phyſicum corpus mobile, & hoc phyſicum eſt.
At tu, cui doctam motrix Natura quietem
Indidit, hoc phyſicum vix puto corpus habes.
Nocte, dieque ſedes, animoque per ardua curris:
Mens ſola Ens phyſicum eſt: imò nec ipſa quidem.
Quippe abſtracta manet, dum docta volumina verſas:
Altiùs, & phyſicis motibus ipſa volat.
Ergò vel Ens phyſicum non es, vel totus aberras
Dum obiectum Phyſices Ens phyſicum eſſe putas.

QVAESTIO.

AN CORPVS NATVRALE SIT ſubiectum Philoſophiæ naturalis.

PERDIFFICILIS ſanè, ac perutilis præſens diſputatio eſt: perdifficilis inquam, non ſolùm propter opinionum varietatem, verùm ét propter earundem opinionum Patronos; qui non ſunt infimæ notæ, ac doctrinæ. Vtilis verò, quandoquidem huius quæſtionis intelligentia ad plura philoſophica intelligẽda aditum præſtat, ac patefacit. Opiniones autẽ circa hanc quæſtionem, quæ circumferentur multæ à Caiet. in quæſito peculiari de ſubiecto naturalis Philoſopiæ enumerantur. Quatuor tamen ipſe potiores, ac principaliores breuitatis cauſa recenſebo; & eam, quæ Scoti doctrinæ videtur conformior (vt par eſt) aſſertionibus, rationibus, ac fundamentis, more ſolito dilucidabo, ac conſolidabo; pariterq. aduerſas ſententias confutabo, & earum rationes ſoluam.

PRIMA igitur ſentẽtia eſt D.Th. in expoſit. primi tex. primi phyſ. Ariſt. & 2. lib. met. l. 2. lib. 4. l. 5. & lib. 6. l. 19. qui poſtquam partitionem illam cõmunem ſcientiarum realiũ acceptã ex diuerſitate rerũ realium, circa quas verſantur, propoſuiſſet; (quam inferius ſentent. Scoti recẽſendo exactiùs ſubijciemus) in hanc venit ſentent. vt ens mobile eſſe totius naturalis Philoſophiæ ſubiectum aſſereret. Quam cõmuniter ſequuntur, ac defendunt Thomiſtæ; quãquam in modo explicãdi ipſi varij inueniantur. Nam aliqui accipiunt ens mobile abſolutè, & abſq; vlla coarctatione: & ſic ens mobile eſt quid cõmunius ad corpus naturale, & ad corpus mobile. Cui explicationi videtur fauere D. Th. dùm ait, quòd ſubiectũ naturalis Philoſ. eſt ens mobile ſimpliciter, non autem corpus mobile; quia omne mobile eſſe corpus probatur 6. phyſ. tex. 32. per *Simpliciter* autem non intelligit D.Th. idem, quod per ſe, & non ſecundùm quid; ſed vt idem ſonat, quòd *Vniuerſaliter*: hinc enumerat deinde ſpecies mobilium entium, quæ ſub hoc communi ente mobili, quod ab eo ſtatuitur ſubiectum continentur, de quibus in partialibus libris phyſicis agitur; vti in libro de cælo, de mobili

D.Th opinio.

Thom. in modo explicandi varij.

Primus modusquo rundam.

Quid S. Tho. per Simpliciter intelligat.

ſecun-

Species entiũ mobiliũ circa quas tota naturalis Philoſoph. verſatur, ſecundùm S. Tho.

ſecundùm motũm localem, qui eſt prima motus ſpecies: in libro autem de generatione de motu ad formam, & primis mobilibus, .ſ. de elementis, quantũ ad eorum tranſmutationem in cõmuni; in libris verò meteororũ, quantum ad eorũ tranſmutationes in ſpeciali; de mobilibus verò mixtis in lib. de mineralibus; de animatis verò in lib. de anima, & de conſequentib. ad ipſam. Quo fit, vt nomine entis mobilis intelligant hi Thomiſtæ quid abſtractius, & cõmunius cẽrpore naturali; putant .n. materiam, & formã eſſe per ſe aliquo modo mobiles; materia autem, & forma non ſunt corpora, neq; ſub corpore continentur, tãquam partes ſubiectiuæ eius, ſed ſub ente: ergo ens mobile ſimpliciter, & non corpus mobile, vel naturale eſt totius Philoſophiæ naturalis adæquatum ſubiectum.

Quid entis mobilis nõie Thomiſtæ aliqui intelligant.

Caiet explicãdi alius modus.

Caiet. vbi ſup. in ſpeciali quæſito de ſubiecto naturalis philoſophiæ explicans, quid per ens mobile in propoſito intelligi debeat, ab alijs Thom. diſcedere conatur; vndè vt ſuã aperiat ſententiã, declarat priùs, quid per mobile, deinde quid per ens ipſe cum D.Th. intelligat: Per mobile igitur Caiet. intelligit id, quod mutabile eſt phyſica mutatione: nomine autem phyſicæ mutationis, quam mobile reſpicit, cõprehendit omnẽ motum, & mutationem, .ſ. non ſolùm motum propriè, qui à mutatione diſtinguitur, & qui ad tria tantùm genera eſſe dicitur, ex Ariſt. 5. phyſ. .ſ. ad quale, ad quantum, & ad vbi, verùm ẽt motum cõmuniter dictum, vt continet in ſe, & motũ propriè dictum, & mutationem, ideſt generationem, & corruptionem. Quo fit, vt nomine mobilis cõprehendat Caiet. non ſolùm mobile propriè, quod quidem triplici illo motu contradiſtincto à mutatione, moueri poteſt; verùm ẽt mobile, quod mutatione mobile eſt: & ſic mobile cõmuniter ſumptum idem eſt, quod mutabile mutatione phyſica. Et quia aliquid eſt mobile ſubiectiuè, quia ſubiectũ motus; & aliquid mobile terminatiuè, quia terminus motus, & mutationis, ex ipſo Caiet. hinc ait, quòd mobile in propoſito ſumitur indiſtinctè, non tamen ea rõe, vt ſit cõmune ad omnia, quomodocumq; mobilia, cõtinẽtq; vt partes ſubiectiuas materiã, & formam, quia hoc eſt contra S. Th. in 1. phyſ. ſuper tex. 6. vbi in explicatione literæ expreſsè dicit, quòd in 1. lib. phyſ. de principijs entis mobilis agitur, ideſt de materia, & forma; ex hoc apertè inſinuãs, ens mobile, quod eſt Philoſophiæ ſubiectũ, non eſſe totũ vniuerſale reſpectu materiæ, & formæ, ſed totũ integrale, vel eſſentiale. Poſtremò pro huius termini declaratione, & eius in propoſito acceptione ait

Quid per mobile intelligat aperitur. Ariſt.

Caiet.

Caiet. quòd cùm mobile ſit æquiuocum, ideſt ad aptitudinem ad motũ, & ad fundamentũ illius aptitudinis; ſicut ſi riſibilitas importaret aptitudinem ad ridendum, & rationalitatẽ, vt fundamentum illius aptitudinis; difficilè eſt videre, in qua ſignificatione hic accipiatur; vndè illam cõmunem antiquorum Thomiſt. opinionẽ reijciens; quæ aſſerebat mobile accipi pro illa formali aptitudine ad motum, & talem aptitudinem ad moueri, eſſe rõnem formalẽ ſubiecti phyſici, ac tandem ens aptum natum moueri eſſe Phyſicæ ſubiectum; ſuã in medio ſtatuit ſententiam, inquiens, quòd mobile in propoſito non ſignificat aptitudinem ad motum, ſi eſt paſsio, ſed eius fundamentum.

Caiet. reijcit antiq. Thomiſt. ſententiã, & ſuam ponit.

Caiet. verò placitum ſequens Ruuius in cõment. ſuper 8. lib. phyſ. qu. 5. clariùs illud explicat; vndè inquit, mobile in hac parte non accipitur pro formali aptitudine, vel potentia ad motum, quæ eſt qualitas ſuperaddita naturæ, ſicut riſibile accipitur pro potẽtia formali ad ridendum; ſed accipitur pro radice, à qua procedit talis aptitudo formalis ad motum.

Ruuius ſequitur Caiet. ſed clarius explicat.

Quid verò ſit huius aptitudinis ad motũ radix, & fundamentum aperit Caiet. dicens, mobilitas, quæ eſt rõ formalis obiecti phyſici, non paſsio, ſed quod quid erat eſſe eſt entium naturalium, & præuenit naturalitatem, & mobilitatem paſsionum eorum. Ruu. clarius explicat quid ſit hæc radix, & fundamentũ; vndè dicit; hæc autem radix, & fundamentũ mobilitatis formalis .i. aptitudinis formalis ad motũ, eſt ipſa natura ſubſtantialis rei compoſitæ ex materia, & forma; nam ab hac procedit formalis aptitudo. Hæc de primo termino, .i. mobile, ex Caiet. & Ruuio dicta ſufficiant; patet .n. clarè ex dictis, quid per mobile, quod ratio formalis primi ſubiecti phyſici ſtatuitur à D. Thoma intelligi debeat.

Quid verò nomine entis in propoſito intellexerit D. Th. idẽ Caiet. aperire conatur; per ens ergo intelligit non id, quod habet eſſe, quocunque modo illud habeat; ſed tantùm id, quod propriè habere eſſe dicitur; hoc autem in his, quæ fiunt, ens eſt id, quod propriè fit; ſiquidem eius eſt eſſe propriè, cuius eſt propriè fieri; id autem, quod propriè fit ex Ariſt. 7. met. tex. 28. eſt compoſitum, ſiue ſubſtantiale, vt homo; ſiue accidentale, vt homo muſicus: recolligens autem Caiet. dicta ſua, inquit; quòd, ad hoc, vt aliquid ſit pars ſubiectiua entis mobilis, quod ſubiectum Phyſicæ ſtatuitur, exigitur, & quòd ſit propriè ens, .i. compoſitum ſiue ſubſtantiale, ſiue accidentale; & quòd ſit mutabile phyſica mutatione; & propterea nec materia, nec

Quid entis nomine Caiet. intelligat explicatur.

Ariſt.

formâ, ſiuè ſubſtantialis, ſiue accidentalis, ens mobile eſt, ſed entis mobilis, principia; & ſic ens mobile ſecundũ Caiet. quod ſtatuitur ſubiectum Phyſicæ, non ſumitur ſecundùm eam vniuerſalitatem, qua eſt cõmune ad omnia quocũque modo mobilia, vt aiebat prima Thomiſt. ſententia; ſed prout eſt quid cõmune ad omnia entia compoſita, quæ tota mutabilia ſunt aliqua mutatione phyſica, ſiue talia entia ſint compoſita ſubſtãtialia, ſiue accidentalia, ſiue mobilia ſecundùm formam abſolutam, ſiue ſecundùm vbi. Et quia ex iſtis limitationibus, & coarctationibus exiſtimat Caiet. ſe in ſententiam eorum, qui aſſerunt corpus naturale eſſe ſubiectum, incidiſſe, ideo addit, quòd hoc ens mobile, eſto quòd non ſe extenderet ad compoſita accidentalia, eſſet tamen quid abſtractius, quàm corpus mobile, & quàm ſubſtantia naturalis, ſiue ſenſibilis. Nec obſtat contractio per mobile; quia quãuis ex parte mobilis æqua ſit abſtractio, ex parte tamen entis, & ſubſtantiæ non eſt æqua; ens enim mobile abſtractius eſt ſubſtãtia mobili, ſicut ſubſtantia rationalis abſtractius quid eſt, quã animal rationale; quod patet, quia concedens ſubſtantiam rationalem, adhuc relinquit locũ diſputandi, an ſit corpus, an animal; & continuè ab abſtractiori ad minus abſtractum quæſtio deſcenderet. Deniq; concludit, quòd D. Tho. ſententia eſt, naturalia rationem ſubiecti phyſici induere primò, non quatenus ſunt corpora mutabilia, aut ſubſtantiæ mutabiles; ſed quatenus ſunt entia mutabilia; ens enim mobile eſt quid prius, & abſtractius corpore, & ſubſtantia mobili. Hæc ex Caiet. collegi.

Nititur Caiet. recedere à ſententia aſſerentiũ corpus naturale eſſe ſubiectũ.

D. Tho. autem, ac Thomiſt. ſententia ſic in cõmuni authoritatibus, & rationibus ſuadetur. Primò authoritate Ariſtot. qui 5. met. tex. 1. expreſsè hanc ſententiam docuit his verbis; *quare ſi omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut ſpeculatiuus eſt, Phyſica ſpeculatiua quædam profectò eſt, ſed ſpeculatiua circa tale ens, quod poſſibile moueri*: igitur ens mobile eſt Phyſicæ obiectum. Et in 3. phyſ. tex. 6. motum definiens dicit, *ipſum eſſe actum entis exiſtentis in potentia*, ideſt eſt actus entis mobilis, vt concludit in tex. 9. in qua motus definitione non poſuit Ariſt. corpus, aut ſubſtantiam, tamquam ſubiectũ, quod ponitur, vt additum in definitione paſsionis, ſed poſuit ens in potentia. Ex hac Ariſt. auctoritate arguit Caiet. Illud eſt Phyſicæ ſubiectum, quod ponitur in definitione primorum accidentium naturalium, quia tale eſt proprium ſubiectum eorum, vt patet ex 7. met. t. 15. Sed ens in potentia, ſecundùm

Sententia S. Tho. ſic in communi probatur primò author.

Ratio Caiet ex tex. Ariſt.

quòd

116

quòd in potentiâ, quòd idem eſt, quòd ens mobile, vt dictum eſt, ponitur in definitione motus, qui eſt primum accidens naturale, primaq; paſsio naturalis; ergo ens mobile, & nil aliud, eſt Philoſophiæ naturalis ſubiectum.

Ad hanc rationem Caiet. reuocari poteſt ſine dubio illa antiqua (pro ſententia hac D.Th. allata) ratio Thomiſt. quæ talis eſt. Illud eſt Philoſophiæ naturalis ſubiectum, quod eſt primũ ſubiectum primæ paſsionis conſideratæ in Philoſophia naturali; ſed mobilitas eſt prima paſsio, quæ in naturali Philoſophia conſideratur, vt patet, & in eius definitione ponitur, vt primũ ſubiectum, ens in potentia exiſtens; quod idem eſt, quòd ens mobile, ex 3. phyſ. vbi ſupra; ergo ens mobile eſt ſubiectum primum Philoſophiæ naturalis. *Antiquã Thomiſtarum ratio.*

Confirmatur hic diſcurſus ex his, quæ habet idem Ariſt. 1. phyſ. t. 11. vbi ait: *nobis autem ſupponatur ea quæ ſunt natura, aut omnia, aut quædam moueri*; non dicit, aut omnia, aut quædam corpora. *Confirm. Ariſt.*

Probatur ſecundò hæc eadem D.Th. ſententia rationibus. Prima. Illud eſt in aliqua facultate ſubiectum, quod complectitur omnia, quæ in illa facultate conſiderantur: atqui ens mobile, & non corpus mobile, vel naturale, eſt quod omnia in Philoſophia naturali conſiderata complectitur; ergo ens mobile eſt Phyſicæ ſubiectum. Maior patet ex conditionibus ſubiecti. Minor probatur; quia in Philoſophia naturali de materia, & forma eſt ſpecialis conſideratio, quæ ſunt quodãmodo mobiles, & tamen non ſunt corpora, ſunt tamen entia mobilia; ergo ſunt partes ſubiectiuæ entis mobilis. *Probatur ſecundò ratione.*

Secunda ratio (& eſt Caiet.) adæquatum ſubiectum primarum paſsionum naturalium eſt adæquatum Philoſophiæ naturalis ſubiectum: ſed ens mobile, & non ſubſtantia, aut corpus naturale, ſeù mobile, eſt adæquatum ſubiectum primarum paſſionum naturalium; ergo ens mobile eſt ſubiectum Philoſophiæ naturalis. Maior patet, minor probatur, accipiendo tranſmutabilitatem, ſeu, quòd idem eſt, mutabilitatem pro prima paſsione phyſica, vel vna de primis; vt ab omnibus ſupponitur, tunc ſic. Adæquatum ſubiectum tranſmutabilitatis habet materiam, formam, & priuationem pro adæquatis principijs: ſed tantùm ens mobile habet hæc pro adæquatis principijs; ergo ens mobile eſt ſubiectum adæquatum tranſmutabilitatis, & conſequenter primarum paſsionum naturalium. Maior probatur, quia in omni materia oportet iſta tria eſſe, *Secunda ratio eſt Caiet.*

ſibi inuicem adæquata, ideſt paſsionem, ſubiectum, & propria paſsionis principia; at patet de riſibilitate, & homine, & animali rationali: vt ex 1. phyſ. patet per longum proceſſum, tranſmutabilitatis principia eſſe materiam, formam, & priuationem: oportet igitur eius, ad quod, tamquam ad ſubiectum adæquatum primò ſequitur tranſmutabilitas eſſe adæquata principia materiam, formam, & priuationem. Minor patet ex his, quæ Ariſt. in 12. metaph. à t. 19. vſque ad 29. docet, nimirum, quòd materia, forma, & priuatio, ad genus ſubſtãtiæ non arctantur, ſed materia, forma, & priuatio in genere ſubſtantiæ, ſunt principia propria ſubſtantiæ mutabilis; & materia, forma, & priuatio in genere quantitatis, ſunt principia propria quanti mutabilis; & ſic de quali proportionaliter dicendum eſt.

Tertia ratio Caiet. ex D. Th. deſumpta. Ariſt. Tertia ratio; eſtq; Caiet. quamquam ex D. Th. deſumpta, qua reſpuit 1. phyſ. in expoſitione primi tex. corpus mobili ſubiectum eſſe Philoſophiæ naturalis: ſubiectum .n. ex Ariſt. 1. poſt. t. 2. ſupponitur, non demonſtratur in ſcientia: non .n. idem eſt præcognitum, & demonſtratum in eadem facultate: atqui corpus mobile eſſe in naturali ſcientia demonſtratur; ergo corpus mobile non eſt ſubiectum Philoſophiæ naturalis. Minor probatur: quia Ariſt. 6. phyſ. t. 32. probat, omne mobile eſſe corpus. Vt autem vis huius rationis appareat, maximam digreſsionem Caiet. aggreditur: quæ inutilis videtur: deniq; ex multis dictis ſyllogizatis, vt acumen ſui intellectus oſtendat, totam digreſsionẽ in hunc ſyllogiſmũ complectitur.

Caiet. ratio. Nullum coniunctum, cuius de omni coniunctio probatur in aliqua ſcientia, eſt ſubiectum adæquatum illius: corpus mobile eſt coniunctum, ideſt complexum, ex mobilitate, tamquam ex prædicato, & corporeitate, tamquam ex ſubiecto, cuius coniunctio de omni probatur in Philoſophia naturali: ergo corpus non eſt ſubiectum in Philoſophia naturali. Maior patet; quia omne coniunctum, quod ponitur ſubiectum, in ſcientia ſupponitur: minor probatur ex tex. 32. 6. phyſ. Vbi probatur naturalis coniunctio mobilis cum corpore. Quæ Caiet. additio ad rationem D. Th. non eſt, niſi verborum mutatio, idem tamen conceptus.

Quarta ratio Ruuij. Quarta ratio, & eſt Ruuij; illud pro ſubiecto ſcientiæ alicuius deſignatur, quod expreſsè continet rationẽ formalem, ſub qua cõſiderantur omnia, quæ pertinẽt ad talem ſcientiam: ſed id habet ens mobile; ergo ens mobile eſt ſubiectũ potiùs,

quàm ens naturale, aut corpus naturale; quia ratio formalis obiectiua, ſub qua cõſiderantur omnia à Philoſophia naturali, eſt, quòd aliquo modo habeat in ſe principiũ motus, vt omnes concedunt; ſed ens mobile formaliter, atque diſtinctè importat id, quod habet principium, vel radicem motus, quam non niſi virtualiter, & confusè dicit ens naturale, vel corpus naturale; ergo potius eſt, obiectum ens mobile.

SECVNDA ſententia, corpus mobile, non autem ens mobile Philoſophiæ naturalis conſtituit ſubiectum primum; quam docuerunt Albert. Magn. Aegyd. Rom. & alij plures. *Secunda opinio Alberti, Aegidij, &c.*

Probatur ab eis primò. Illud eſt magis propriè obiectum, ſcientiæ, cui primò ratio obiectiua, ſub qua cõſiderantur omnia in tali ſcientia, conuenit: ſed eſſe principium motus, quæ eſt ratio formalis obiectiua ſubiecti phyſici, primò conuenit corpori, & ratione eius enti; ergo potius corpus mobile, quàm ens ſtatuendum eſt Philoſophiæ naturalis obiectum. Probant minorem; quia corpus eſt, quod primò, & per ſe mouetur, ens verò ratione corporis; ergo eſſe principium motus primò, & per ſe conuenit corpori, enti verò remotè. *Probatur primò.*

Secundò. Illud eſt ſubiectum ſcientiæ, cuius partes conſiderantur in ea, & cuius paſsiones probantur: ſed partes corporis mobilis, quæ ſunt materia, & forma, per ſe primò conſiderantur in Phyſica, & eius paſsiones probantur, vt, quòd moueri poſsit, & eſſe in loco, &c. nam hæc non niſi remotè pertinent ad ens: ergo corpus mobile eſt ſubiectum, & nõ ens. *Secunda ratio.*

Tertiò. Aut ens mobile, aut corpus mobile eſt ſubiectum Phyſicæ; at non ens mobile; ergo corpus mobile. Maior, vt vera ſupponitur ab eis. Minor probatur; quia tunc Philoſophia naturalis eſſet ſubalternata Metaphyſicæ, quod eſt falſum apud omnes; ergo ens mobile non eſt ſubiectum. Aſſumptum probatur, quia Metaphyſica eſt de ente, inquantum ens; Phyſica verò de ente mobili; ergo conſiderat idem ſubiectum, quod Metaphyſica; conditionem accidentalem addit, quæ facit ipſam ſubalternatam. *Tertia ratio.*

TERTIA ſentẽtia eſt quorundã Modernorũ, qui ſubiectum Phyſicæ faciunt, non corpus vniuersè ſumptum, ſed generabile, & corruptibile. Hanc ſententiam priùs docuit Marc. Ant. Genua: his autem temporibus Georg. Raguſ. Lector Patauin. in libro ſuo, diſput. 1. eam rationibus, atque authoritatibus contendit, vt probabilem defendere; præcipua tamen ratio eſt hæc. Illud eſt in Philoſophia naturali ſubiectum, cuius prin- *Tertia ſententia.* *Marcus Ant. Gen. & Raguſ.* *Ratio præcipua.*

cipia conſiderantur, ac quæruntur in 1. lib. phyſ. atqui in tali libro tantummodò principia corporis generabilis, & corruptibilis conſiderantur, & quæruntur; ergò corpus generabile, & corruptibile eſt ſubiectum Philoſophiæ naturalis. Maior patet; quia illud eſt ſubiectum ſcientiæ, cuius principia quæruntur, ac conſiderantur in illa ſcientia. Minor probatur; quia in 1. lib. phyſ. de materia, forma, & priuatione agitur, quæ ſunt principia corporis generabilis, & corruptibilis ſolùm. Ex qua ſententia patet, cælum non eſſe de conſideratione propria Philoſophiæ naturalis, ſed tantùm per accidens, ſicut primus motor: quia cùm cælum non ſit compoſitum ex materia, & forma, ſitq; ingenerabile, & incorruptibile, non eſt pars ſubiectiua ſubiecti phyſici.

Cælum ſecundū hāc ſententiam non eſt de conſideratione Philoſophiæ naturalis.

QVARTA ſententia eſt Scoti, omnium ferè Scotiſtarum, & multorum recentiorū, nimirum, quòd ſubſtantia corporea naturalis, ideſt corpus naturale eſt ſubiectum primum Philoſophiæ naturalis.

Scoti ſent. quā ſequūtur fere omnes.

Pro huius ſententiæ declaratione, ac Scoti genuina intentione accipiendum eſt primò, quòd Scot. 6. meth. quæſt. 1. ſatis dilucidè, quæ nam fuerit ſua ſententia circa ſubiectum Phyſicæ, nobis patefecit: vndè loco præfato ait, quòd tale ſubiectum eſt ſubſtantia corporea naturalis; quæ vt verum fatear, idem eſt, quod corpus naturale; vt ſatis benè tetigit Fauent. Theorem. 20. etenim ſubſtantia, licèt ſit quid abſtractius corpore, tamen ſubſtantia corporea naturalis dicitur cum corpore naturali ad conuertentiam: ſubſtantia enim finita, quæ eſt generaliſsimum prædicamenti ſubſtantiæ, prima ſui diuiſione in incorpoream, & corpoream diuiditur: ſubſtantia autem corporea idem eſt, quod corpus; corpus autem de genere ſubſtantiæ non eſt, niſi naturale: quod breuiter ex Ariſt. fonte oſtendo; nam triplex corpus ſecundùm Ariſt. datur (nec aliam acceptionem inuenio) nimirum naturale, ſiue phyſicum, mathematicum, & artificiale. Mathematicum eſt tertia ſpecies quantitatis continuæ diuiſibilis ſecundùm trinā dimenſionem, ideſt longitudinem, latitudinem, & profunditatem: de qua corporis acceptione pluribus in locis, ſed præſertim 1. de cælo, tex. 2. ſermonem habet Ariſt. dum ait *Continuum igitur eſt, quod diuiſibile eſt in ſemper diuiſibilia, corpus verò, quod omniquaque diuiſibile eſt, magnitudinis autem, ea quidem, quæ ad vnum, linea; quæ autem ad duo planum, quæ verò ad tria, corpus; & præter has non eſt alia magnitudo, propterea quòd ipſa*

Not. primò

Triplex corpus Scotus in 4. diſtin. 11. quæſt. 3. lit. Q. aſsignat.

ipſa tria omnia ſunt, & ipſa ter omniaq. &c. Artificiale verò corpus eſt illud, quòd ab arte fit, iuxtà doctrinam Ariſt. 2. phyſ. tex. 1. & 2. vt lectus, ſcamnum, & eiuſmodi: de quo corpore mentionē fecit Ariſt. 2. de Anima, tex 3. his verbis. *Subſtantia autem maximè eſſe videntur corpora, & horum naturalia*; vt ea à corporibus artificialibus diſtinguat, quæ licèt ſint ſubſtantiæ, magis tamen ſubſtantiæ corpora naturalia ſunt, quia artificialium corporum ſunt principia; nam ars ex materia, quam natura miniſtrat, operatur, forma verò, quæ per artem inducitur, eſt accidentalis, ſicut figura, & huiuſmodi: vndè corpora artificialia in genere ſubſtantiæ per ſuam formam non collocantur, ſic enim ſunt accidentalia; ſed per ſuam materiam, quæ eſt naturalis: à corporibus igitur naturalibus habent ipſa artificialia, quòd ſint ſubſtantiæ: & quòd tali motu naturali, vel tali ſint mobilia, ex Ariſt. 2. phyſ. tex. 2. De corpore verò naturali, de quo pluribus in locis ſermonem texuit Ariſt. quid ſit, maior eſt difficultas; nam quòd ipſum ſit ſubſtantia, nulli dubium eſt. vt patet ex dictis ab Ariſt. 2. de Anima, vbi ſupra. Ruu. corpus naturale, ſiue phyſicum eſſe ſubſtantiam compoſitam ex materia, & forma, vt lignum, vel lapidem, &c. exiſtimauit, propterea aliam acceptionem corporis (dimiſſa illa de corpore artificiali; quæ erat magis neceſſaria.) adinuenit, nimirum corporis metaphyſici; quod quidem dicit eſſe primam ſpeciem ſubalternā prædicamenti ſubſtantiæ, compoſitam ex ſupremo genere ſubſtantiæ, & differentia, *corporeum*. Quam acceptionem inquit ſe adducere, vt quorundam opinio intelligatur, quæ aſſerit, corpus naturale eſſe Philoſophiæ ſubiectum. Ad quam definitionem corporis naturalis accedunt aliqui ex Scotiſtis dum aiunt. (Scoti ſententiam exarantes.) quòd nomine corporis naturalis pro ſubiecto ſcientiæ naturalis conſtituti, intelligatur corpus de genere ſubſtantiæ ex materia, & forma cōpoſitum; quod quidem hac ratione dicunt eſſe de genere ſubſtantiæ; quia principia ipſum componentia, quæ ſunt materia, & forma, ſunt ſubſtantiæ. Qui Scotiſtæ ſi ita ſentiunt, eorum ſententia parum, aut nihil à tertia ſententia modernorum recedit, aſſerentium, corpus generabile, & corruptibile, cuius principia ſunt materia, forma, & priuatio, eſſe Philoſophiæ naturalis ſubiectum. Quod ex Scoti fonte, vt ſyncerus veritatis amator, non vt cæterorum Scotiſt. placita à Scoti doctrinæ aberrantium aſſuetus impugnator exiſtā oſtendo. Nam ſecundùm Scot. in 2. diſt. 14. quæſt.

Ruu. exiſtimatio.

Opinio quorundā Scotiſt.

Impugnatur.

quæſt.1. *§.reſpon. & § ſecundum*, omne compoſitum ex materia, & forma eſt ſecundùm naturam ſuam corruptibile formaliter; quia intra ſe intrinſecum ſuæ corruptionis principiũ habet; ideſt, materiã, qua res poteſt eſſe, & non eſſe, ex Ariſt. 7. metaph.tex.22. & 1. de cælo, tex.136.materia .n. in potentia eſt contradictionis, ſecundùm ſe, ad hanc formam, ſcilicet & ad priuationem illius: & quamquam aliquod compoſitum ex materia, & forma, vt ſunt elementa exempli gratia, agens extrinſecum, intra limites naturæ loquendo, non habeant potens corrumpere ipſa, nihilominus ſtante compoſitione ex materia, & forma, internum ſuæ corruptionis principium habent, ſcilicet materiam, & conſequenter ſimpliciter natura ſua ſunt corruptibilia, & generabilia; vndè elementa inter ſe mutuò generantur, & corrumpuntur, ex Ariſt.2.de generat. tex.46. & inde; & 1.meteor, cap.2. in calce, licèt non ſecundùm ſe tota, ſed ſecundùm partem, nihilominus in homogeneis eadem eſt ratio totius, & partis, 1.de cælo, tex.19.non .n. elementa ſecundùm partem generabilia, & corruptibilia eſſent, niſi talia eſſent ſecundùm totum; vt patet ex doctrina Ariſt. vbi ſupra, 1.de cælo, & partibus eius. Hinc Scotus in 3.diſtin.22.*§. ad primum*, lit.E. & verſic. *per hoc ad formam argumenti*, & lit.G.illud Ariſt.dictum, 7.met. nimirum, quòd *materia eſt, qua res poteſt eſſe, & non eſſe*, exponens, inter alia habet, quòd corruptibile aliquid dicitur dupliciter; vel potentia propinqua, eſtquè id, quòd generatur, & corrumpitur. cuius corruptionis cauſa proxima eſt materia contracta per exiſtere.

Vide quod. lib. 11. § de ſecũdo.

Corruptibile.

Secundò dicitur aliquid corruptibile potentia remota; eſtq; illud, quod habet in ſe, vndè poſsit dici corruptibile, non tamen poteſt exire in actum, niſi priùs fiat in potentia propinqua: ſicut calefactiuum dicitur, quod habet calorem, non poteſt tamen calefacere potentia propinqua, niſi ſit approximatum paſſo. Hoc modo homo dicitur corruptibilis, & eſt prædicatio in ſecundo modo dicendi per ſe: ſicut hæc, color eſt viſibilis: nihilominus homo nõ eſt in potentia propinqua ad corrumpi, niſi ſit in eſſe exiſtentiæ; ſicut nec homo generatur proximè, ſed hic homo exiſtens.

Omne corruptibile eſt tale propter materiã.

Ex qua Scoti doctrina colligitur, quòd omne quod eſt generabile, & corruptibile ſiue potentia remota, ſiue potentia propinqua, eſt tale propter materiam quam includit, vel propter materiam ſecundùm ſe acceptam, vel propter mate-

materiã ad exiſtere contractam; vt ſunt corruptibilia, & generabilia proximè, prӕterquam quòd veriſſima eſt hӕc doctrina Ariſt. (à qua non licet in hoc negotio diſcedere,) vt patet in prӕcitatis locis; & alibi.

Vnum tamen modò afferam, vt clarè veritas rei eluceſcat. 1. enim de cӕlo tex. 136. poſt longum ſermonem de generabilibus, & corruptibilibus, hӕc habet verba. *Neceſſe eſt igitur natura talia, ideſt corruptibilia quandoque quidem eſſe, quandoque autem non eſſe; talium autem entium eſt potentia contradictionis, & materia iam eſt, vt ſint, & non ſint, &c.* *Ariſt. 1. de cӕlo.*

Hinc Scotus in 2.diſt.14. quӕſt.1.*§.reſpondeo*, & alibi ſӕpè, cũ Ariſt.negat, peripateticè loquendo, à neceſſarijs, & ſempiternis materiam, & potentiam cõtradictionis; vt patet ex 1. de cӕlo, quaſi per totum, & 9.met. tex. 17. & 12.met. tex.30. Etenim talia ſi materiam haberent, non eſſent certè ſempiterna, nec neceſſaria, quia potentiã haberent ad contrariũ, & ſic ad corrũpi; in contrarijs.n. eſt generatio, & corruptio ex 1.de cӕlo, tex.20. Ergo in eis, in quibus eſt potentia ad contrariũ, eſt poſſibilitas ad generari, & corrũpi. Imò medium in ſcientia naturali, quӕ eſt verè ſcientia, ad demonſtrandam de corpore phyſico in communi, ſiue mixto, ſiue ſimplici ſimplicitate oppoſita tantùm mixtioni, corruptibilitatem, quӕ eſt paſſio talis corporis, eſt materia, & non niſi primum, & immediatum medium, ad quod ſtat reſolutio vltima in demonſtrationibus, in quibus corruptibilitas de tali corpore phyſico demonſtratur: quia quamuis corpus phyſicum mixtum corrumpatur, quia ex contrarijs fit generatio, & corruptio ſecundùm Ariſt.non tamen eſſet mutua actio, ex qua huiuſmodi corruptio oritur, niſi eſſet aliquid in potentia, quod poſſet etiam formam recipere; etſi etiam corpus ſimplex, ideſt non mixtum, vt ſunt elementa, agat in corpus aliud ſimplex, ratione contrarietatis, prima tamen radix, eſt materia cum Priuatione, quӕ eſt in potentia, vt ad aliam formam tranſmutetur, ſcilicet aër ad aquam, & è conuerſo. Concludamus igitur hӕc omnia cum Scoto in 3.vbi ſupra, *§.rationes, &c.* & in 2. diſt. 12. quӕſt. 1. lit. A. verſ. *Prӕterea ſecundo,* quòd corruptibilitas, quӕ eſt veluti paſſio corporis phyſici mixti, & ſimplicis, ideſt nõ mixti, compoſiti tamen ex materia, & forma; in ſcientia naturali, non per aliud medium primum, & immediatum, quàm per habere materiam, demonſtratur: & *Nota ex Scoto.*

quamquam corpus phyſicum ſic in ſua generalitate, & vniuerſalitate acceptum non corrumpatur actu, niſi in hoc, vel illo corpore mixto, & compoſito ex materia, & forma, quòd actu corrumpitur; nihilominus corruptibilitas de hoc, vel illo corpore primò non demonſtratur, ſed de corpore in communi ad illa; ſicut riſibilitas primò de homine, quàm de ſuis indiuiduis oſtẽditur; ergò ſi Scotiſtæ, & Ruuius per corpus phyſicum, ſeù naturale, quod ſtatuunt ſubiectũ Philoſophiæ naturalis, intelligant corpus compoſitum ex materia, & forma; eorũ ſententia nihil à modernorum relata opinione, niſi tantùm voce, recedit, vt dictũ eſt. Sed neſcio alia ex parte vndè Ruuius illam acceptionem corporis metaphyſici deſumpſerit; & quo fundamento illam excogitauerit: ex dicendis enim apparebit, vanam eſſe, ac omninò imaginariã; niſi per corpus metaphyſicum intelligat quendam gradum entis, quod non eſt ad propoſitum; *per corpus igitur naturale, quod ad conuertentiam dicitur cũ ſubſtantia corporea naturali, nos intelligimus corpus naturale vniuersè ſumptum*, cõnunc ad omne corpus, ſiuè ſit compoſitum ex materia, & forma, vt elementa, ſiuè ſit mixtũ ex elementis, vt animalia, & alia huiuſmodi; ſiuè eſt ſimplex ſimplicitate oppoſita mixtioni, & compoſitioni ex materia, & forma, vt cælum, & partes cæli; cui primò per ſe, & adæquatè conuenit prima paſsio, & affectio phyſica, ſcilicet mobilitas: hoc enim à nobis cum Scoto Philoſophiæ naturalis conſtituitur ſubiectum primum, vt ex aſſertionibus patefiet: Scotus enim in 2. diſt. 12. quæſt. 1. A. dicit, quòd ſubſtantia per ſe exiſtens diuiditur in ſubſtantiam ſimplicem, & compoſitam, & compoſita non poteſt eſſe per ſe diuiſa cõtra ſimplicem, niſi habeat partem realiter differentẽ, & realiter diſtinctam à forma; corpus ergò quodlibet aut ſimplex, aut compoſitũ, 1 cæli tex. 34. vbi Com. dicit, quòd hæc diuiſio per ſe patet, & nullus poteſt dicere quòd nullum corpus ſimplex ſit; plura enim corpora diſſoluuntur in alia, ſed hæc diſſolutio non procedit in infinitum, quia neceſsè eſt, vt ſint corpora ſimplicia, & iam declarauit corpora ſimplicia eſſe per motus ſimplices, & ſunt quinque, & ideo hæc propoſitio, aut patet, aut eſt declarata.

Reÿcitur Ruuius.

Not. 2. Secundò accipiendum eſt, quòd cùm ſubiectum ſcientiæ, vt communiter circumfertur, quodam ſit materiale, quodam verò formale, quæ duo ſcientiarum ſubiecta alio nomine, res conſiderata, & modus conſiderandi appellantur: controuerſia inter Philoſophos, ac prædictarum opinionum authores eſt de

vtro-

vtroque ſubiecto: nam qui dicunt ens mobile eſſe ſubiectum ſcientiæ naturalis, conueniunt in ſubiecto materiali cum aliquibus Doctoribus, ab eis verò in ſubiecto formali diſcedunt, cũ alijs autem in ſubiecto formali conueniunt, in ſubiecto nihilominus materiali, etſi non in ſe, ſaltem in nomine concordare non videntur. Nam qui ens naturale, ens ſenſibile, res naturales, & huiuſmodi eſſe ſubiectum naturalis Philoſophiæ aſſerunt, in materiali ſubiecto à Thomiſtarum ſententia parum, aut nihil diſſentire à peritis exiſtimantur. Qui verò ſubiectum Philoſophiæ naturalis corpus mobile, aut ſubſtãtiam mobilem ſtatuunt, ab eadem Thomiſtarum ſententia, quoad ſubiectum formale recedere non videntur, quãquam à ſubiecto materiali nomine tantùm, vt dicebam. Scotiſtæ verò, iuxtà noſtram ſententiam vberiùs ſuprà declaratam, qui corpus naturale cum Scoto Doct. ſubtiliſsimo totius naturalis ſcientiæ ſubiectum primum conſtituere conantur, & re, & nomine à Thomiſtarum ſentẽtia, & quòad materiale ſubiectũ, & quòad formale (Caiet. nihilominus expoſitione de ſubiecto ſolummodo formali excepta) diſcedere omninò comprehenduntur. Quæ omnia breuiter oſtendo. Nam, vt expoſuit Caiet. & poſt illum alij, ſcilicet Fauent. Ruu. & alij quàmplures, etiam ex Scotiſtis, per ens in propoſito, quod à D. Th. pro ſubiecto primo naturalis ſcientiæ ſtatuitur, compoſitũ ex materia, & forma intelligitur; per ens autem naturale, per ens ſenſibile, & per rem naturalem ex parte ſubiecti materialis idem intelligunt Ruu. & cæteri, ſcilicet compoſitum ex materia, & forma: quòd idẽ eſt, quòd ens mobile, ſecundùm eoſdem, imò ad conuertentiam dicuntur, vt ipſi aiunt: mobilitate tamen accepta, iuxtà expoſitionẽ Caiet. ſcilicet, pro radice, & fundamento mobilitatis, quãquam excipiant ens ſenſibile, corpus, aut ſubſtantiam ſenſibilem, & rectè, quia licèt ſignificetur per hæc compoſitum ex materia, & forma, non tamen vt tale, ſed vt accidentibus ſenſibilibus affectũ, & ſic de formali vnum per accidens importat, quòd ſubiectum ſcientiæ conſtitui nõ poteſt; de ente .n. per accidens, ex Ariſt. ſcientia haberi nequit, 6. metaph. tex. 4. ſicut nec diffinitio, 7. met. tex. 16. Igitur, qui aſſerunt ens naturale, vt Tolet. ens ſenſibile, vt Auerroes, eſſe Philoſophiæ naturalis ſubiectũ, cum D. Th. in ſubiecto materiali conueniunt, iuxtà Ruuij placitum; hi verò, qui ſubiectum faciunt corpus naturale, vel mobile, ſubſtantiam naturalem, vel mobilem, in ſubiecto materiali nomine diſſentiunt à D. Th. re tamen conueniunt, vt idem Ruu.

Vbi ſentẽtia, & expoſit. conuenientia, & differẽtia expenduntur.

Quorundam.

Aliorum.

Scotiſtarũ quorundã placitum.

Toletus.

Auer.

exi-

exiſtimat: quia omnia hæc nomina, ſcilicet *ens naturale, corpus mobile, corpus naturale, ſubſtantia mobilis, & ſubſtantia naturalis*, ſi propriè ſumantur, nil aliud, quàm ens completum, ex materia, & forma compoſitum, cui per ſe primò conuenit habere naturam, & ſecundùm eam principium motus, ſignificant; diſcordare nihilominus videntur à D.Th. in ſubiecto formali, niſi Caiet. expoſitionē amplectantur, qui per mobilitatē, quæ ratio formalis ſubiectiua, ſiue ſubiectum formale à D.Th. aſſeritur, non intelligit aptitudinem, & potentiam illam formalem ad motum, ſed radicem, & fundamentum, à quo aptitudo, & potentia illa formalis ad motum procedit; quòd ſi ita eſt, omnes hæ ſententiæ non re, ſed ratione tantùm, vt rectè Ruu.& Fauent. putant, diſcordes exiſtunt: vndè Ruu. diſcipulos quoſdam Scoti reprehendit, qui ens mobile, quod à D.Th. conſtituitur ſubiectum Philoſophiæ naturalis, eſſe vniuerſalius cœteris putarunt. Verùm, vt verùm fatear, fallitur Ruu. quia ſi primam Thomiſtarum ſententiam attendamus, apparebit ens mobile eſſe vniuerſalius corpore naturali, cum ſecundùm ipſos multa ſint mobilia, quæ non ſunt corpora, vt materia, & forma. Si verò Caiet. expoſitionem aſpiciamus, ex dictis ſuis accipiemus, ens mobile eſſe quid abſtractius & cōmunius corpore, & ſubſtantia naturali, vt ſatis dilucidè ipſe dicit, ne videatur cum aſſerentibus corpus naturale pro ſubiecto, in opinione conuenire; ergo Scotiſtæ illa tantùm referunt, ſententiam D.Th. impugnātes, quæ à D.Th. ſectatoribus, ac expoſitoribus dicuntur; vnde Fauent. modernus Scotiſta cap. 2. nititur ſententiam D. Th. ex Io. de Magiſtr. & alij Scotiſtæ ex eodem ad bonum ſenſum redigere; quæ ad bonum ſenſum redacta, vt ipſe Fauent. ait, eadem eſt cum ſententia, corpus naturale pro ſubiecto aſſerentium: ens enim ex Caiet. non ſumitur ſecundùm eam vniuerſalitatem, qua tranſcendit omnia quocumq; modò mobilia, hoc eſt, tàm partes integrantes, quàm eſſentiales, ſed pro ente compoſito ex materia, & forma, & mutabili mutatione phyſica; & mobile ſumitur, non pro aptitudine, vel potentia formali ad motū, ſicut aliqui Thomiſtæ exiſtimarunt, quos (ſed ſuppreſſo nomine, & ſatis modeſtè) reprehendit Caiet. ſed pro radice, & fundamento illius aptitudinis, quæ nil aliud eſt, niſi id, quod eſt naturalis motus principium; hoc autem idem eſt, quod natura.

Authoris iudicium circa has expoſition.

Quid Fauentin. & alij Scotiſtæ.

Ad hunc bonum ſenſum conantur pariformiter redigere Alberti, & Aegidij opinionem, aſſerentium, corpus mobile

eſſe

eſſe ſubiectum; nam ex parte ſubiecti materialis non eſt controuerſia cum Scotiſtis, cùm corpus ſtatuant pro ſubiecto materiali; ex parte tamen ſubiecti formalis diſſenſio apparet. Nihilominus ſi mobile pro principio, radice, & fundamento illius aptitudinis formalis ad motum ſumatur, de nomine tantùm, non de re lis erit; at vbi de re conſtat ex D. Auguſt. 1. retract. *Auguſtin.* cap. 14. de nomine non eſt contendendum. Quòd ſi aliter Authores harum opinionũ intelligãt, oppoſitum quis ex aſſertionibus pro ſententia Scoti inferiùs adducendis accipiet. Maior nihilominus difficultas nobis ſe offert, dum Scoti ſententiam de ſubiecto Philoſophiæ naturalis omninò facere diuerſam à *Authoris intentum.* D. Th. & Aegidij opinione volumus, prout etiam à Scotiſtis, præſertim à Fauent. & ab alijs ad bonum ſenſum redigi videtur: namq; per ens mobile, & per corpus naturale præfati Doctores corpus compoſitum ex materia, & forma, cui primò, & per ſe conuenit prima paſſio phyſica, ſcilicet mobilitas, ideſt aptitudo, & potentia ad motum, intelligunt, vt viſum eſt; quorum ſententia, vt dicebam ſuperiùs notabili primò, reipſa eadem eſt, quamquam in verbis diuerſa videatur cum tertia opinione, quæ corpus generabile, & corruptibile (cuius principia ſunt materia, forma, & priuatio) conſtituit ſubiectum; nam omne compoſitum ex materia, & forma eſt generabile, & corruptibile, vt ex Ariſt. & Scoti officina oſtenſum eſt; quo fit, vt *Miratur* admirer valdè Fauentino, aliosq; Scotiſtas, quomodo hac *Author de* ſtante eorum interpretatione circa Scoti ſententiam, & aliorũ *Fauẽtino,* Doctorum, præſertim D. Th. & Alberti cum Scoto concilia- *& alijs* tione, diſſoluere valeant rationem pro tertia ſententia, quæ *Scotiſtis,* eſt modernorum, allatam; quandoquidem hac eorum opinio- *eoſq; reijcit.* ne conceſſa, nimirum, quòd corpus naturale (quod quidẽ idem eſt, quod compoſitum ex materia, & forma ſecundùm ipſos, vt concordent cum Caiet.) ſit ſubiectum Philoſophiæ naturalis, non poterit ſaluari (in ſententia Scoti loquor, iuxtà doctrinam Ariſt.) cælum eſſe naturale corpus, & per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis, ipſiq; competere poſſe moueri; cùm ſecundùm Scotũ iuxtà doctrinã Ariſt. in 2. ſent. diſt. 14. quæſt. 1. *§. reſpond.* cælum non ſit compoſitum ex materia, & forma; ergo non continetur ſub corpore naturali (quod ab eis totius Philoſophiæ naturalis ſubiectum ponitur) tamquam pars ſubiectiua, & conſequenter non poteſt illi conuenire paſsio illa prima, & adæquata corporis naturalis conſtituti pro ſubiecto, ſcilicet mobilitas; ſicut riſibilitas, quæ eſt paſſio adæquata

homi-

hominis, non competit non contentis ſub homine; niſi dicere velimus, quòd mobilitas eſt paſſio excedens corpus naturale; ergo corpus naturale non eſt ſubiectũ adæquatum Philoſophiæ naturalis, vel quòd motus cæli, qui ſibi couenit ratione illius potentiæ ad moueri,non ſit phyſicus; quòd eſt euertere totam Ariſt. doctrinam, quam tradidit de motu primo locali, ſcilicet circulari,à quo cæteri motus quodammodo pendent,& quamquam non eſſentialiter; vt docet Scot.in 4. diſt.48.quæſt.2.lit.I. & L. & diſt.49. quæſt.14. lit. M. & in 2. diſt. 2. quæſt.11. A. in ratione tamen menſuræ, præeminentiæ, & dignitatis; quia eſt regularis, ſeù vniformis, ſimpliciſſimus, & velociſſimus, principem locum tenens; vt patet ex Ariſtot. 8.phyſ. 1.de cælo, & 12.metaph. licèt non dicatur ille motus naturalis, rigoroſè, & propriè ſumendo naturalitatem; quia ille motus propriè, & rigoroſè eſt naturalis,qui eſt ad quietem naturalem,vt ad terminum, & ab illa quiete, factus eſt violentus, eſtque tantùm illius mobilis, quòd naturaliter ad talem motum inclinatur. Dicitur tamen naturalis,quia non violentus,& contra naturam cæli; nullum enim violentum eſt durabile, 1. de cælo, tex.16.& 2. tex.18. & in ſententia Fauent.eſt naturalis ex parte principij, quòd maximè vrget, vel demũ naturalis dici poteſt, & ſimpliciter ordine vniuerſi ſpectato pro hoc ſtatu, quẽ Ariſt. agnouit,qui eſt ſtatus corruptibilium,& generabilium rerum; ſic enim vniuerſi perfectio expoſtulat, cælum magis moueri, quàm quieſcere,vt docet Scotus in 4.diſt.48.quæſt.2.lit.N.ideò propter vniuerſi perfectionẽ pro hoc ſtatu,ille motus eſt naturalis, & ſimpliciter naturalis,ſi verum eſt id, quod docet Scot. in 4. diſt.49. quæſt.13. lit. H.& I. & quæſt. 14.lit. K. quòd natura totius vniuerſi eſt magis naturalitatis principium, quàm natura hæc particularis, & magis naturale eſt, quòd tali toti conuenit, quam quòd propriè huic parti; & quòd naturalitas

Aqua naturaliter ſurſũ aſcẽdit, vt vniuerſi plenum ſaluetur.

potẽtiæ ſuperioris maior eſt, quàm potentiæ inferioris, quando ſunt ordinatæ. Vndè motus aquæ ſurſum, vt plenum in vniuerſo ſaluetur, eſt ſimpliciter naturalis, ſecundùm quid verò violentus; ergò cum propter rerum generationem, & corruptionẽ ſit neceſſarius cæli motus, ſaltẽ propter perfectionem vniuerſi ſecundùm hunc ſtatum gẽ[n]erabiliũ, & corruptibilium rerum,ſequitur,quòd motus ille ſimpliciter dicendus ſit naturalis, propter totius vniuerſi naturalitatem; quamquam neuter ex parte cæli mobilis, & voluntarius, ex parte intelligentiæ mouentis à Scoto eſſe cenſeatur. De qua re videnda ſunt,

quæ

quæ 2.phyſ. ſcripſimus: hoc tamen eſt certum, quod ille motus eſt verè phyſicus, & inter ſpecies motus à Phyſico conſideratas ab Ariſt.collocatus, quemadmodum & mouens cælum, phyſicè mouet, ex Ariſt. 2. phyſ. tex. 73. licèt non ſit mouens phyſicum,quia in mouendo non repatitur. Inſuper dicere,cælũ non eſſe corpus naturale,nec per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis, non ſolùm eſt totam Ariſt.doctrinam euertere, verùm ét nouam Philoſophiam ſcientiæ Peripateticè non conſentaneam in ſchola Ariſt. diſſeminare. Vtrumq; probo, nam ſecundùm Ariſt.8.met.tex.1.cælum dictum eſt ſubſtantia naturalis,& in eod.8.tex.3. ſubſtantia ſenſibilis, & cælũ eſt corpus, ex 1.de cælo; non mathematicũ,vt patet,quia illud eſt accidẽs, cælũ eſt ſubſtantia,ex eod.1.2.& 3.de cælo,& 8.met.tex.1.& 3. & ex dicendis clariùs patebit. Nõ eſt artificiale; quia illud fit ab arte, cælum verò non ab arte, imò neque à natura, ideſt, ab agente naturali factum eſt, 1.de cælo à tex.101. vſq; ad calcem ferè libri,vnde Ariſt. ſemper pro inconuenienti habet,cælũ eſſe ſempiternum, & eſſe factum, imò pro impoſsibili cenſet, cuius verba ſunt clara in tex.107.& in 2.de cælo,tex.1.vbi quæ dicta ſunt in propoſito de cælo, recapitulat: ergo eſt corpus naturale,ſed non compoſitũ ex materia,& forma in ſententia Ariſt. vt cum Scoto, & Auerr. concedit Raguſ. & fateri debent oẽs Scotiſtæ,vt facit Fauent.theor.59. quidquid dicat Petr.Tartar. qui in hoc negotio, vt Theologus loquutus eſt, & iuxtà ſecundam viam Scoti de materia cæli, quæ eſt Theologorum in 2. diſt.14.quæſt.1. *§.ſecundùm, &c.* Igitur cælum eſt corpus naturale. Præterea per corpus naturale id rigoroſè intelligi debet ſecundùm Ariſt. quod paſsioni phyſicæ ſubijcitur; cælum autẽ phyſicæ paſsioni, ſcilicet motui ſubijcitur; ergo eſt corpus naturale. Hinc 1. de cælo, tex.1. illa protulit Ariſt. verba; ſcilicet; *ſcientia de natura ferè plurima verſatur circa corpora, & magnitudines,& horum paſsiones,atque motus*; vt infertet cælum eſſe corpus naturale, & conſiderationem eius per ſe ad Philoſophum naturalem attinere. Et in tex. 5. vt hoc idem oſtenderet, de partibus vniuerſi ſecundùm ſpeciẽ diſtinctis ſermonem aggreditur,inter quas præcipua eſt cælũ: vt hoc autem meliùs aſſequi valeat, ſupponit definitionem corporis naturalis, tamquam aliquod principiũ phyſicum, ſcilicet *quòd omne corpus naturale eſt ſecundùm ſe mobile ſecundùm locum*: rationem aſsignat; *quia natura eſt principium in corpore naturali ipſius motus*, vt dictum eſt etiã 2.phyſ. tex.3. corpus verò

Aliud eſt phyſicè mouere, aliud eſſe phyſicũ mouens.

naturale ex eodem Ariſt. 1. de cælo tex. 1. *eſt conſtans natura*; & 2. phyſ. tex. 1. & 3. *naturalia corpora ſunt, quæ in ſeipſis principium motus, & ſtatus habent.* Ampliùs in tex. 97. 1. de cælo, poſtquam in tex. 96. præmiſerat illam triplicem cæli acceptionem, ſcilicet primam pro ſphæra vltima circulationis vniuerſi, quam clariori nomine appellat ibidem corpus naturale, quod in extrema eſt circulatione vniuerſi, in quod omne diuinum ait eſſe collocatum. Secundam pro corpore contiguo vltimæ ſphæræ, in quo ſunt aſtra, vt Sol, vel Luna, &c. hæc enim omnia eſſe in cælo communiter dicimus. Et tertiam pro toto vniuerſo incipiendo ab vltima ſphæra vſque ad vltimũ corpus. Subdit, hoc cælum tertio modo, ſcilicet pro toto vniuerſo, neceſſariò ex omni corpore naturali, & ſenſibili cõſtare, propterea, quòd extra cælum, & extra vltimam ſphæram non eſt corpus naturale ſiue ſimplex, ſiue compoſitum, ſiue mixtum, ſiue ſecundùm naturam, ſiue præter naturam, nec eſſe poteſt; quia totus mundus ex tota materia propria eſt, materia.n. ipſius eſt naturale corpus, & ſenſibile. Ex qua doctrina Ariſt. clariſsimè quilibet percipiet, cælũ eſſe naturale corpus (cum ex illo, & alijs corporibus naturalibus, & ſenſibilibus conſtet hoc vniuerſum) & ad Philoſophum naturalem conſideratione eius per ſe pertinere. In textu verò 99. verba aliqua valdè expendenda habet Ariſt. quæ non ſolùm cælum eſſe corpus naturale indicant; verùm etiam quodnam ſit ſubiectum adæquatum primæ paſsionis phyſicæ demonſtrant: nam cũ quaſi epilogaſſet, quòd extra cælum, ideſt vniuerſum, & vltimam ſphæram non eſt aliquid, neque locus, neque vacuũ, neque tempus; ſubdit, *tempus autem eſt numerus motus; motus autem ſine naturali corpore non eſt.* Quibus verbis & inſinuatur cælum eſſe corpus naturale, cum in eo ſit motus, & præcipuus, ſcilicet circularis; & oſtenditur, quòd motus, qui eſt prima paſsio, & affectio phyſica, non eſt extra naturale corpus; ergo corpus naturale eſt ſubiectum adæquatum motus: ſicut ſi dicatur, riſibilitas ſine homine non eſt, ergo homo eſt ſubiectũ adæquatum eius. Poſſem & alia loca ex quatuor libris de cælo ad hoc idẽ probandum adducere, ſed breuitatis cauſa illa relinquò. Progredior vlterius ad alios Ariſt. libros: in 1. enim cap. lib. metheor. ſic dicit. *De primis igitur cauſis naturæ, ideſt corporis naturalis, & de omni motu naturali, adhuc autem de rectè diſpoſitis ſecundùm ſuperiorẽ lationẽ aſtris, & de elementis dictum eſt, &c.* Ex quibus verbis colligimus, libros alios phyſicos connexionem

Triplex cæli acceptio ſecundum Ariſt.
Prima.
Secunda.
Tertia.

Nota Ariſtotelis doctrinam.

Vlterius nota.

nem habere cum libris de cælo, & cælum eſſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis, & motum eius eſſe verè phyſicum, & naturalem. Clariùs idipſum habet in principio ſecundi capitis, vbi etiam cælũ inter corpora conſtantia natura enumerat. ſed ad Metaphyſicam accedamus, vt ex dictis ibi, & cælũ eſſe corpus naturale, & per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis colligamus. Et quamquam multa ſint loca, ex quibus argumentum ad hoc probandum deſumi poteſt, potiora, & omnibus clariora afferam. In 8. igitur Metaph. tex. 2. Ariſt. de ſubſtantijs naturalibus, ac ſenſibilibus, tãquam ab omnibus conceſsis, ſermonem aggrediens, vt patet ex tex. 3. inter quas enumerat cælum, inquit; *ſubſtantia verò quædam omnibus conceſſa ſunt; ſed de quibuſdam ſingulariter quidam enunciauerunt: conceſſa quidem, quæ naturales ſunt, vt ignis, terra, aqua, & cætera ſimplicia corpora; deinde plantæ, & partes earum; animalia, & partes eorum; & tandem cælum, & partes cæli.* Ecce quomodo Ariſt. ordine quodam nobilitatis, & perfectionis omnes ſubſtantias naturales enumerat, inter quas perfectiorem locum tenet cælum, & partes eius, ſicut ſunt orbes, & ſidera, quæ cæteras ſubſtantias naturales, ac ſenſibiles nobilitate tranſcendunt, &c. Et 12. Metaph. tex. 5. diuidit ſubſtantiam, in ſubſtantiam ſenſibilem, & in ſubſtantiam immobilem non ſenſibilem; ſubſtantiam verò ſenſibilẽ diuidit poſtea in ſempiternam, & corruptibilem. Corruptibilis eſt, vt animalia, & plantæ, elemẽta, & huiuſmodi; ſempiterna verò, vt cælum: vtramq; tamen ſubſtantiã ſenſibilem ait eſſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis, quia cũ motu ſunt; immobilem verò nõ ſenſibilẽ alterius eſſe ſcientiæ, & conſiderationis, vide 2. phyſ. tex. 71. In tex. 29. idẽ repetit, inquiẽs; *cùm verò tres ſint ſubſtantiæ, duæ quidẽ naturales, alia autẽ immobilis*; igitur ex Ariſt. cælũ eſt ſubſtantia naturalis ſempiterna, & ad Philoſophũ naturalem ſpectans, quia eſt cum motu, vt ipſemet Ariſt. ait.

Concludendo igitur dico, quòd non rectè præfati Scotiſtæ corpus naturale, ideſt compoſitũ ex materia, & forma ſubiectum Philoſophiæ naturalis conſtituunt; cũ in ſententia Scoti iuxtà doctrinam Ariſt. cælum, quod eſt ſubſtantia corporea naturalis, & conſequenter pars ſubiectiua corporis naturalis, quod primum ſubiectum ponitur, ſecundùm Scot. compoſitione ex materia, & forma careat. Imò vt verùm fatear, tãquam veritatis amator fruſtrà, ipſi Auth. tertiæ ſententiæ conantur redarguere, & eorum ſententiam demoliri, ſicut inter alios, *Reſciũtur Scotiſtæ, præſertim Panent.*

quos vidi, facit Fauent. etenim omnes illæ rationes, quas ipſe contra tertiam ſententiam congerit, validiſsimè contra ipſum, & ſuam ſententiam vim, ac robur habent.

Quod probo, ne temerè loqui videar. Nam ipſe hanc deducit conſequentiam (ſententia modern. ſuppoſita) ergo cælum non eſt de conſideratione Philoſophiæ naturalis. Hoc autem eſt falſum, nam certum eſt, quòd cælum eſt corpus naturale. & de ipſo agit Phyſicus. Conſequentiam illam probat; quia cælum non eſt generabile, & corruptibile, vt Philoſophus probat 1. de cælo. Secundò ſequeretur, quòd libri de cælo inter libros naturalis Philoſophiæ connumerari nõ deberent; cuius oppoſitum patet ex Ariſt. qui poſt libros phyſic. poſuit libros de cælo. Tertiò, quia omne mobile pertinet ad Philoſophum naturalem; cælum autem eſt mobile motu locali: ergo cælum eſt de conſideratione Philoſophiæ naturalis.

Expendamus quæſo has argumentationes; & rei veritas apparebit. Prior enim ratio ex hoc vim habet, quia cælum eſt corpus naturale, ſub corpore naturali pro ſubiecto primo Philoſophiæ naturalis conſtituto, vt pars ſubiectiua contentum: & non eſt generabile, & corruptibile; ergo corpus generabile, & corruptibile non eſt ſubiectum, vel eſt dicendum, quòd cælum non eſt de conſideratione Philoſophiæ naturalis. Authores tertiæ ſententiæ, quia corpus illud, .ſ. generabile, & corruptibile pro ſubiecto primo Philoſophiæ naturalis ſtatuunt, vt conſequenter loquantur, concedunt cælum non eſſe per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis, ſed ſolummodò per accidens, nimirum rõne motus; ſicut primus motor per accidens tantùm ab eodem naturali Philoſopho cõſideratur 8. phyſ. quia eſt primum principium motus, & primum mouens. Ipſe tamen in ſua ſententia argumento ſuo ſatisfacere nequit; quod quidem ſic retorqueo contra ipſum. Cælum eſt corpus naturale, & non eſt compoſitum ex materia, & forma, vt cũ Scoto concedit, & Ariſt. eſtq; per ſe de cõſideratione Philoſophiæ naturalis: ergo ſubiectum primum, & adæquatũ Philoſophiæ naturalis non eſt corpus naturale, ideſt compoſitum ex materia, & forma; alioquin cælũ non contineretur ſub ſubiecto primo Philoſophiæ, vt pars ſubiectiua eius, nec cõſequenter eſſet per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis; ſicut .n. cælum nõ continetur ſub corpore generabili, & corruptibili, quod ab Authorib. tertiæ ſententiæ ſtatuitur primũ ſubiectum; quia nõ eſt generabile, neque corruptibile; ſic nec cõtinetur ſub corpore naturali compoſito

Retorquetur ratio Fauentin. contra ipſum.

ex

ex materiâ, & forma, cùm compoſitionis talis ſit omninò in ſententia Scoti, & Ariſt. expers. Et ſicut deducitur rectè illa conſequẽtia contra illã ſententiã: igitur cælum non eſt de conſideratione Philoſophiæ naturalis: conſimiliter contra ipſum infertur; ergo cælum non eſt per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis: eſt.n. vtrobiq; par ratio; nam quæ per ſe ad aliquam ſcientiam ſpectant, vel ſunt principia ſubiecti, vel partes, vel paſsiones eius, ex Ariſt. 1. poſt. 179. cælum autem corporis naturalis compoſiti ex materia, & forma non eſt principiũ, nec eſſendi, nec cognoſcendi, vt patet; nec paſsio eiuſdẽ, nec pars ſubiectiua; quia non eſt cõpoſitum ex materia, & forma; ergo non eſt per ſe de cõſideratione Philoſophiæ naturalis. Et præterea ſi ſua argumẽtatio contra tertiã illã ſent. vim habet, conſimilem habet contra ſuam; cùm corpus compoſitũ ex materia, & forma ſit formaliter generabile, & corruptibile, vt ſuperius oſtenſum eſt; quemadmodũ non eſt cælum, vt per totum ferè librum 1. de cælo, & initio 2. probat Ariſt. De ſecunda rõne parùm curant moderni illi Auth. niſi authoritatibus Ariſt. ſuperiùs allatis comprobetur, & alijs rationibus, & præſertim hac; quia motus localis ſecũdùm Ariſt. eſt prior omni motu, & notior, ex 8. phyſ. 1. de cælo, & 12. metaph. Ergo priùs agere Ariſt. debebat de motu locali, quàm de alijs motibus. Sed in nullo lib. egit exactè de motu locali, niſi in lib. de cælo; ſicut poſt agit de motu ad formam in lib. de generatione. Ergo cum in 8. lib. phyſ. egerit de motu in communi, incipiens tractare in ſpeciali, priùs ſermonem aggreditur de perfectiori, priori, ac notiori motu, qui eſt localis: ergo libri de cælo ſtatim poſt 8. lib. phyſ. per ſe collocari debebant.

Authoris ratio contra Auth. 3. ſentent.

Tertiã verò rationẽ expendamus; quæ licèt probet, & rectè, cælum eſſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis; nihilominus ſententiæ illorum Auct. non officit, niſi pariformiter ſuã ſententiam lædat; ſicut enim mobile omne non eſt generabile, & corruptibile, ſic etiam mobile omne nõ eſt corpus naturale compoſitũ ex materia, & forma; quia cælum eſt mobile & tamen non eſt compoſitum ex materia, & forma. Vndè Thomiſtæ meliùs in eorum ſententia hæc omnia euadunt, quàm præfati Scotiſtæ: etenim ipſi & cælum cõpoſitum ex materia, & forma in ſententia Ariſt. cum D. Th. 1. par. quæſt. 66. art. 2. enixè docẽt, & ipſum eſſe per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis; vt ex comment. D. Th. ſuper illa loca ſuperiùs allegata ex 12. metaph. ſatis dilucidè patet; & meliùs quàm Thomiſtæ Aegidius

Tertia Fauent. rõ nihil lædit tertiam ſententiã, niſi ſimul lædat ſuã.

Thomiſtæ meliùs, quàm præfati Scotiſtæ euadũt hæc incommoda.

de

Aegid. de Roma mel. lius quàm Thomiſtæ.

de Roma, qui cælum voluit ex materia, & forma eſſe compoſitum, & materiam illam eſſe eiuſdē rationis cum materia horū inferiorum, quod negant Thomiſtæ cum D.Th. ſic enim cælum partem ſubiectiuam ſubiecti primi Philoſophiæ naturalis eſſe, & ipſum eſſe de cōſideratione Philoſophiæ naturalis per ſe ſaluaretur, ſuppoſita entis mobilis, & corporis mobilis acceptione ſecundùm illū ſenſum, ad quem Caiet. Rnu, & Scotiſtæ præfati conantur illud redigere. Verùm in Ariſt. ſent. cæli ſempiternitatem, & incorruptibilitatē nō ſaluarent; nec à tertia ſententia modernorum re, ſed tantùm nomine recederent, quia omne compoſitum ex materia, & forma eſt ſua natura corruptibile, vt ex Ariſt. ſuperiùs deductū eſt, præſertim 1. de cælo tex. 136. vbi aſſignans rationem, cur impoſsibile ſit, corruptibile ſempiternum eſſe, & nunquam corrumpi, ſed ſempiterno tempore permanere? ait; *quia tunc idē ſimul in actu eſſet corruptibile, & incorruptibile*; & ſic duo oppoſita ſimul in eodem actu exiſterēt; quod eſt impoſsibile. Vndè infert, quod neceſsè eſt, omne corruptibile quandoq; corrumpi; & oppoſitū exiſtimat impoſſibile, vt patet ex textibus ſuperioribus. Cauſam autem huius neceſsitatis in tex. 136. afferens, ſic inquit; *neceſſe eſt igitur natura talium quandoq; eſſe, quandoq; non; talium autem eadem eſt potentia contradictionis, & materia cauſa eſt, vt ſint, & non ſint.* Quid clariùs deſiderari poteſt? in illo enim capite, quod eſt vltimum 1. lib. à tex. 126. vſq; ad tex. 140. contra Plato. qui cælum voluit eſſe factum, & tamen eſſe ſempiternum, contendit probare, quòd hæc duo, ſcilicet generabile, & corruptibile ſe inuicem conſequuntur, ſicut ingenitum, & incorruptibile, ſiue ſempiternum; vnde eſſe impoſſibile docet, quòd aliquid ſit generabile, & non ſit corruptibile, & è conuerſo; & quod aliquid ſit incorruptibile, & ſempiternum, & non ſit ingenerabile, & è conuerſo: & poſt longam diſcuſſionem, & Plat. ſententiæ redargutionem, cauſam aſſignat, cur ſit neceſſe corruptibile quandoque corrumpi, & impoſsibile ſit ſempiternè perdurare, ait huius neceſsitatis cauſam eſſe materiam, quæ ſecundùm ſe eſt in potentia contradictionis, & eſt, qua res poteſt eſſe, & non eſſe; quod repetit poſtea 7. metaph. tex. 22. ex hoc diſcurſu Ariſtot. ſic arguo. Ex ſentent. Ariſt. ibi, & per tot. 1. lib. de cælo, & mundo; cælum eſt ingenerabile, & incorruptibile, eſtq; ſempiternū, ergò caret materia phyſica. Patet conſequentia, alioquin eſſet corruptibile. Aſſumptum probo; poſita cauſa præciſa, & immediata

Reijciuntur tamen omnes.

Argumentū ex Ariſtot.

alicuius paſsionis in aliquo,ei conuenit illa paſsio: atqui materia eſt cauſa præciſa, & immediata, quare aliqua entia natura ſua poſsint eſſe, & non eſſe, ſint, & non ſint, vt dicit Ariſt. Ergo ſi cælum materiã haberet phyſicam,eſſet ſanè corruptibile; & in ſententia Ariſt. eſſet impoſsibile, quandoq; nõ corrumpi, & incorruptibiliter perdurare: nulla enim alia aſsignatur rõ ab Ariſt. quòd entia corruptibilia non poſſint ſempiterno æuo perdurare, ſed neceſsè ſit illa quandoq; corrumpi,niſi materia, & potentia cõtradictionis: ergo ſicut ex poſitione materiæ neceſsè eſt corruptibile corrumpi, ſic ex negatione materiæ neceſsè eſt incorruptibile nũquam corrumpi: cælum igitur nullo modo in ſententia Ariſt.eſt compoſitum ex materia, & forma.

Nec valet effugium de forma,quæ totum materiæ appetitum ſatiat, vt alibi hanc quæſtionẽ exactè tractantes oſtendemus; & ad aliud propoſitum in materia noſtra de prædeſtinatione reiecimus; quia nulla forma totum materiæ appetitum ſatiat, niſi virtualiter,& eminenter contineat oẽs alias formas naturales,ad quas materia eſt in potentia; ſicut nullũ obiectum totum potentiæ appetitũ explet,ac perficit, niſi eminenter,& virtualiter omnia obiecta, ad quæ illa potentia per ſe inclinatur, contineat, vt docet Scot. in 1.diſt.1. quæſt.1, *§. contra*, lit. B. Sola ergo forma infinita, ſi poſſet materiam perficere, poſſet auferendo omnem priuationem à materia, compoſitũ incorruptibile cõſtituere; & adhuc eſſet difficultas, num .ſ. illa materia tali forma infinita, eminenterq; continente omnes alias formas informata, eſſet in potẽtia ad illas formas ſub proprijs rationibus,quas eminẽter in illa vna forma infinita haberet,vt notat Scot. in 4.diſt.49.quæſt.6.C.Igitur cum forma cæli non includat, ac eminenter contineat omnes inferiores formas, eo modo, quo ens infinitum omnia alia à ſe continet; ſequitur, quòd à ſua materia non tollit omnes priuationes illarum formarum, ſi illa materia talium formarum ſit capax; quòd aſſerere debet Aegid. qui materiam illam eſſe eiuſdem rationis cũ materia horum inferiorũ exiſtimauit. Vnde in ſentẽtia Aegid. ſaluari nequit incorruptibilitas cæli ex principijs intrinſecis: põt ſaluari tamen incorruptibilitas eius ab agente naturali, aut à contrario: nam licèt cælum rõne materiæ haberet potentiam ad contrarium, nihilominùs,quia forma cæli non haberet tale contrarium, quod eſſet potens vincere ipſam, ideò non poſſet ab agente naturali corrumpi. Totius huius diſcurſus exemplum patet de anima intellectiua, quæ inter formas natu-

Aegid. in tractatu de materia cæli.

Nota.

Anima rational. præſtantiſs. formarum naturaliũ

naturales præſtantiſſima eſt, & conſequenter perfectior forma cæli, & tamen à materia quam informat, priuationes aliarum formarum non tollit, imò nec conſtituit compoſitum incorruptibile reſpectu naturalis agentis, cũ ad eſſe compoſiti ipſa requirat aliã formã, vel præuiã, vel concomitantẽ (parũ re fert) formam ſcilicet corporeitatis; materiam .n. nudam non põt informare; formam autẽ corporeitatis agens naturale attingere poteſt corrumpendo. Hinc D.Th. 1.par. quæſt. 66. art. 2. (hanc rem in corpore quæſiti perpendens) materiam cæli eſſe alterius rõnis à materia horum inferiorum: & nullam formã, quamquam virtute, & eminenter contineret aliam formã, poſſe ſatiare appetitum materiæ reſpectu illius formæ concluſit. Cuius ſententiam Scotus conſimiliter in 2.diſt.14.quæſt.1.impugnat, & in 3. diſt.16. quæſt.2. lit.E. Etenim ex hac opinionẽ D. Th. ſequeretur, quòd eſſent duæ materiæ primæ, quòd eſt inconueniens; in quolibet enim genere cauſæ deueniendũ eſt ad vnam primam; vt Ariſt.2. metaph. à tex.5. vſq; ad 14.excluſiuè demonſtrat: vnde qua ratione non ſunt duo efficientes primi, vel duo primi fines alterius, & alterius rationis, ſic nec
Caiet. placitũ reijcitur. duæ materiæ primæ alterius rationis. Et quamquam Caiet.nõ habeat hoc pro inconuenienti; quia putat aliter dicẽdum eſſe de cauſis intrinſecis, & aliter de cauſis extrinſecis: nihilominùs Ariſt.loco præallegato de qualibet cauſa vnitatem probat, ac primitatem, vt cuilibet legenti text. Ariſt. accuratè patere põt; præterquamquòd ex Caiet. non eſt vna materia phyſica omnium corporum cæleſtium, ſed tot ſunt, quot ſunt corpora illa; ergo plures ſunt materiæ primæ; etenim ſi vna eſſet, ſicut materia horum inferiorum ſub vna forma exiſtens, eſſet in potentia ad aliam; ſic materia illa cæleſtis exiſtens ſub forma Lunæ eſſet in potentia ad formam Solis, & ſic in potentia eſſet contradictionis, & cauſa corruptibilitatis rei Verba autem Caiet. ſunt hæc. *Non eſt putandum, quòd materia cæli reſpiciat formã cæleſtẽ, vt actũ adæquatũ; quia ſic ſequeretur potentia ad plura, & priuatio, et corruptibilitas ab intrinſeco; ſed quòd materia Lunæ eſt in potẽtia ad formã Lunæ tantum, & materia Solis ad formã Solis tantum, & ſic de alijs, ita quòd, quot ſunt ſpecies corporũ cæleſtiũ tot ſunt genera phyſica eorum, & hoc quod dico, cæli materia non ſignificat aliquã vnã materiã, ſed quoddã analogũ omnibus materijs cæleſtium corporũ.* Hæc Caiet. Ex qua Caiet. doctr. colligitur multiplicatio materiæ primæ ſine vlla neceſsitate & quòd non minori vnitate ſunt vnum, & idem

mate-

materia corporis cæleſtis ex D. Th. & materia elementorum, quàm corporum cæleſtium materiæ inter ſe: vnde ſicut illæ non ſunt vnum, niſi vnitate analogiæ ex D.Thom.ſic ex Caiet. genera phyſica corporum cæleſtium ſunt vnum vnitate analogiæ: & ſicut illæ ſunt alterius rationis, ſic & iſtæ. Quæ omnia perpendat quilibet æquo animo, & accipiet, quantùm interdum Caiet. vt ſententiam, quam ipſe exiſtimabat D.Th. defenderet, à veritate aberrauerit, & diſtinctiones ſine neceſsitate multiplicauerit; ſicut in hac quæſt. facit, .ſ. de potentia receptiua tantùm, & de potentia receptiua, & paſsiua ſimul; quaſi recipere ex Ariſt. 3. de anima, tex. 2. & alibi non ſit, quoddam pati: ampliùs de materia in potentia ad vnam formam ſpecificam, & de materia in potentia ad genus formæ; & quòd hæc ſit in potentia contradictionis, & non illa: & quòd potentia ad genus formæ eſt illa, quæ eſt in potentia ad priuationem illius formæ, propterea quia eſt in potentia ad aliam formam; non autem potentia ad vnam formam, ſicut eſt potentia materiæ cæli, quæ ita eſt in potentia ad formam Lunæ, vt non ſit in potentia ad formam Solis, & ideònon eſt in potentia ad priuationem illius formæ, quam habet. Hæc omnia ſigillatim in proprio quæſito, Deo duce, vt omninò à veritate aliena, reijciemus. Breuiter tamen ſic argumentor. Omne, quòd eſt in potentia ad aliquid, ex ſe, & ex propria natura non habet illud, ſed quantum eſt ex ſe, eſſe poteſt ſine illo: neceſſarijs .n. non ſolùm actus oppoſitus, verùm etiam potentia ad illum repugnat: non ſic in contingentibus, in quibus licèt repugnet actus, non tamen poſſibilitas ad illum actum; poſſe .n. currere non repugnat ſeſſioni, quamquam curſus illi repugnet. Sed cælum, Lunæ exempli gratia, eſt in potentia ad formam Lunæ; ergo quantum eſt ex ſe, non habet illam formam, ergò poteſt illam non habere quantum eſt ex ſe, & ſic eſt in potentia ad priuationem illius formæ; ergo eſt eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum, & per conſequens cauſa corruptionis in cælo ratione potentiæ ad priuationẽ illius formæ, quam habet. Vim huius argumentationis ex Ariſt. accipiamus, qui 9. metaph. à ſempiternis, & neceſſarijs tex. 17. excludit contradictionis potentiam, quæ non eſt niſi paſsiua, & eſſentialis, vt de potentia contradictionis loquitur in tali textu, ſicut ẽt exponit D.Th. quidquid ſit de potentia contradictionis actiua potentiæ rationalis, quæ dicitur propriè potentia accidentalis ad contradictoria; omne .n. quod talem potentiam paſſiuam

Scot. in 1. diſtin. 8. q 5. in 4. d.49 13.q

Ariſt.

D habet

habet ad aliquid, poſſibile eſt habere illud,& non habere illud ex Ariſt. ſed cælum habet paſsiuam potentiã ad talem formam, ſcilicet Lunæ, vel Solis; ergo poteſt habere illam,& non habere; ergo eſt in potentia contradictionis. Si autem dicas, quòd materiæ cæli neceſſariò ineſt illa forma Lunæ, vel Solis. Contra, quia ad id, quod neceſſariò ineſt alicui, non eſt potentia paſſiua in eo, ex Ariſt. ibid. non enim homo eſt in potentia ad rationalitatem, quæ ſibi neceſſariò ineſt: ergo ſi talis forma neceſſariò ineſt materiæ cæli, non rectè dicitur cælum in potentia ad illam formam, vt ait Caiet.

Præcluditur effugium.

Effugium Caiet. præcluditur.

Dicet fortè Caiet. quòd licèt ſit in cælo potentia ad talem formam, tamen ſemper fuit ſub forma, & vt ſic propriè non eſt potentia contradictionis. Contra hoc etiam dato non habetur cauſa ſufficiens ad ſaluandam cæli incorruptibilitatem, & ſempiternitatem in ſententia Ariſt. Probatur à pari ex tex. 30. 12. metaph. ibi enim oſtendit, quòd ad motus perpetuitatem, & ſempiternitatem non ſolùm non eſt ſufficiens cauſa, ſi ponamus effectiuum, & motiuum, actu non mouens, vel operans, potens tamen mouere, verùm etiam ſi ponamus illud ſemper operari, & mouere,& quòd ſubſtantia eius ſit potentia *: contingit enim, quod potentia eſt, nõ eſſe*; *oportet igitur* (ſubdit Ariſt. *eſſe principium tale, cuius ſubſtantia eſt actus.* Tunc ſic argumentor. Dato, quòd materia cæli, quæ eſt receptiua (de qua magis videtur.) formæ Lunæ; ſemper fuerit ſub illa forma, tamen quia illa materia non eſt eſſentialiter illa forma,& actus, quia materia ſecundùm id, quod eſt,ſecundùm D.Th.& Caiet. ibid. non eſt aliquod ens, niſi ſubſtantialis potentia ad formã; & loquitur de qualibet materia, & talis potentia eſt ſua natura, & ſuum quod quid eſt, & loquitur vniuerſaliter de materia quacunque, licèt poſtea de materia in potentia ad genus formæ, & de potentia ad formã ſpecificam diſtinguat; hoc parùm refert: & inſuper non eſt vera compoſitio in cælo ex materia, & forma, & ex rebus realiter diſtinctis: ſequitur,quòd hoc non erit ſufficiens ratio ſaluandi perpetuitatẽ, & incorruptibilitatem cæli; quia contingit id,quod potentia eſt, nõ eſſe ex Ariſt.

Optima ratio.

Efficax argumentum ex Ariſtot. deſumptũ.

Contra verò id quòd dicit, ſcilicet quòd materia, quæ eſt in potentia ad formam talem ſecundùm ſpeciem, non eſt in potentia contradictionis,niſi fortè per accidens; quia ſpecies illa multiplicabilis eſſet ſecundùm numerum, ſic argumentor.

Genus per ſe eſt in ſpecies diuiſibile, tamquam in partes ſubiectiuas, & ſpecies in indiuidua ſimiliter; ergo ſicut potentia

ad

ad formam ſecundùm genus eſt per ſe potentia contradictionis ita potentia ad formā ſecundùm ſpeciem eſt potētia per ſe contradictionis: & ſic ſequitur, quòd ſicut potētia ad vnā formam genere, priuationē habet annexā, ita potentia ad vnā formā ſpecie priuationē habeat annexā, & ratio eſt, quia potentia, quæ eſt ad formā vnā ſecūdùm genus, eſt ad plures ſecundùm ſpeciē; & dum eſt in actu ſub vna, eſt in potētia ad alias, & ſic caret illis. Pariformiter potētia ad vnā formā ſecundùm ſpeciē, eſt in potentia ad plures ſecūdùm indiuidua, & conſequenter dum actu eſt ſub vna forma, eſt in potētia ad alias, & ſic illarum priuationem hēt. Et præterea, quæ ſpecie differunt, genere cōueniunt, hoc veriſſimum eſt; ſed corpora cæleſtia ſpecie ex Caiet. differunt; ergo genere conueniunt; & conſequenter dabitur materia omnium corporum cæleſtium vna genere, quæ erit in potentia ad formam vnam ſecundùm genus: quod ex Ariſt. 12. metaph. tex. 27. probatur; ibi enim ait Ariſt. in ſenſu, quòd eorum, quæ ſunt in eadem ſpecie, ſed diuerſa ſecundùm numerum, ſunt diuerſa principia non ſpecie, ſed numero; ſicut alia eſt materia tua, & forma, & mouens, & aliud mea, ſecundùm tamen vniuerſalem rationem ſunt eadem; ſic in propoſito, eorum, quæ ſpecie inter ſe ſunt diuerſa, ſunt in eodē genere; & conſequenter quāquam principia eorum ſpecie ſint diuerſa, ſunt tamen eadem genere: ergò licèt ſit alia ſpecie materia, & forma Cæli Lunæ à Cælo Mercurij, tamen hæc & illa ſunt genere eadem; ergò datur vna materia cæleſtis eadem ſecundùm genus, & cōſimiliter alia, & alia forma ſecundùm ſpeciē, eadē tamen ſecundùm genus. Ergò illa materia erit in potentia ad formā ſecundùm genus; & quamquā ſit ſub hac, vel illa forma diſtincta ſpecie, nihilominus erit in potētia ad aliā formā, & ſic erit in potentia contradictionis, ſicut materia horū inferiorū. Sed hæc per tranſennā dicta ſint; alibi Deo duce, accuratiùs, ac diffuſiùs opinionē D.Th. & Caiet. defenſionem impugnabimus.

Non poſſunt igitur hi Authores (eorum ſententijs de materia, & corpore cæli ſuppoſitis.) ſaluare cælum eſſe incorruptibile in ſententia Ariſt. & ponentes, ens vel corpus (quòd idem eſt ſecundùm eos, quod compoſitū ex materia, & forma.) eſſe ſubiectum Philoſophiæ naturalis, incidunt in tertiam ſententiam modernorum aſſerentium, corpus generabile, & corruptibile eſſe tale ſubiectum: quia omne compoſitum ex materia, & forma eſt ſua natura generabile, & corruptibile, ex Ariſt. *Concluſio diſcurſus contra ſententiam D. Th.*

Tertiò accipiendum eſt, quòd Scotus, & Scotiſtæ non abſq;

rationabili cauſa, Philoſophiam in eam, quæ ab Ariſt. tradita eſt, & in eam, quam intellectus creatus naturali acumine habere pôt, quæ Philoſophia ſimpliciter appellatur; diſtinguunt. Et prioris Philoſophiæ corpus naturale, vel ſubſtantiã corpoream naturalem conſtituunt ſubiectum, poſterioris verò ſubſtãtiam finitam cõmunem ad corpoream, & incorpoream. Cuius partitionis cauſa eſt non in rationabilis, vt dictum eſt; etenim ſecundùm Philoſophiam ſimpliciter, quæ rationi naturali innititur, & nõ tantùm Ariſt. auctoritati, Intelligentiæ ſunt ſubſtantiæ finitæ, & ſunt per ſe mobiles, & non immobiles per ſe, & per accidens; vt Ariſt. 8. phyſ. tex. 52. & 12. metaph. à tex. 29. vſque ad 48 ſenſit, in quibus textibus prædicata Intelligentiarum venatur, & probat: & quamquam 8. phyſ. videatur dicere, ſolùm primum mouens eſſe immobile per ſe, & per accidens; reliqua verò cæleſtium orbium mouẽtia eſſe immobilia per ſe, mobilia autem per accidens; nihilominùs ſeipſum in tex. 52. exponit dicens, quòd mouentia orbium cæleſtium alia à primo, non ita dicuntur moueri per accidens, eo modo, quo Anima ad motum corporis mouetur; quia Anima eſt forma corporis informans, conſtituens per ſe vnum cum eo; motores verò cæleſtes ſunt aſſiſtentes, non informantes. Ampliùs anima ratio mouendi tantùm eſt, & non eſt id, quòd mouet, nam totum animal mouet ſeipſum; vnde animali moto mouentur omnia, quæ ſunt in eo, vt notat Scot. in 2. diſt. 14. quæſt. 1. lit. C. Intelligentia autem mouens orbem, non eſt ratio mouendi; quia nõ eſt forma cæli, ſed eſt id, quod mouet cælum; & hac ratione ad motum orbis, per accidens non mouetur; dicitur tamen moueri per accidens, quatenus orbis eius, quem mouet, mouetur per accidens alio motu, ſcilicet motu ſuperioris orbis, &c. & in ſent. Scoti, qui ſecundùm Ariſt. tenet, primum mobile immediatè in genere cauſæ efficientis non moueri à Deo, ſed ab Intelligẽtia; huiuſmodi Intelligẽtia erit immobilis in tali ſententia per ſe, & per accidens; quia primùm mobile non mouetur per accidens ad motum ſuperioris orbis, cũ ſit ſupremum, & alium non habeat ſuperiorem. Sunt igitur ſecundùm veritatem, Intelligentiæ mobiles motu locali, quia cùm ſint finitæ, non ſunt vbique ſicut Deus; qui hac ratione eſt omninò immobilis, & non tantùm ſecundùm rationem Ariſt. ſcilicet propter motus ſempiternitatem; poſſunt enim Intelligentiæ vnum locum deſerere, & alium acquirere; & talis motus erit verè, & realis, & phyſicus, (quia non inuenio motum localem Meta-

Tertiò not.

Acceptio du pl. Philoſoph. ſecundũ Scotiſtas defenditur.

Intelligentiæ ſecundùm Philoſophiam ſunt per ſe mobil.

Expoſitio tex. Ariſt. optima.

phyſicum) qui licèt ſecundùm rationem formalem ſpecificam ſit alius à motu locali corporum; in ratione tamen generica conuenit cum eo, vt ex Scoto colligitur in 2. diſt. 2. quæſt. 11. *§.dico ergo.* lit. A. quo in loco docet, motum localem Angeli, menſurari tempore noſtro communi, ſicut menſuratur motus localis corporum: & inſuper Angelũ participare conditionem corporalem, inquantum mouetur localiter; quæ poteſt eſſe eiuſdem rationis aliquo modo in ipſo, & in corpore: & quamquam non ſit eiuſdem rationis formalis, & ſpecificæ, vt dictũ eſt, quia alio modo mouetur localiter corpus, quia circũſcriptiuè, Angelus verò diffinitiuè; cùm alio modo Angelus ſit in loco, & alio modo corpus; eſt tamen eiuſdem rationis genericæ; quia illud propriè localiter dicitur moueri, quòd ab vno vbi ad aliud vbi mouetur; quod autẽ occupatiuè, vel diffinitiuè tantùm, hoc ſpectat ad rationes formales, ac ſpecificas motus localis; nõ autem ad rationem genericam, quæ abſtrahit à modo ſic, & ſic mouendi localiter. Patet etiam de motu locali recto, & circulari, qui licèt ſint alterius rationis ſpecificè, & incomparabiles, ex Ariſt. 7.phyſ. tex. 21. & inde; tamen in ratione generica motus localis, ſunt eiuſdẽ rationis, ſicut homo, & equus: de rõne enim motus localis eſt, vt mobile tali motu ab vno vbi ad aliud moueatur; ſiue mobile moueatur à medio, ſiue ad medium, ſiue circa medium; omnes .n. hi motus ſpecie ſunt diſtincti, ratio tamen generica motus localis eſt eadem.

D. Th. ponit 1. part. q. 53 ar. 1 eſſe in loco & moueri conſequenter, localiter, æquiuocè conuenire Angelis, & corporib.

Nunc ſic ratione naturali probatur, quòd Angelus poſſit moueri localiter. Omne receptiuũ formarum alicuius generis, quod non eſt ex ſe determinatum ad aliquã vnam illarum formarum, nec eſt illimitatum ad illas, poteſt moueri, ſiue mutari ab vna illarum formarum ad aliam. Hæc propoſitio eſt ex ſe clara, ſubiectum enim includit prædicatũ. Atqui Angelus eſt receptiuus alicuius vbi diffinitiuè, licèt nõ circumſcriptiuè, nec eſt illimitatus ad omnia vbi, quia non eſt immenſus; ergò mutari poteſt ab vno vbi ad aliud vbi; & cũ inter duo vbi extrema ſint infinita vbi intermedia, ſicut probari poteſt per motum corporis, quod continuè mouetur ſuper illa; poteſt Angelus per omnia illa vbi tranſire, & non niſi continuò motu, cum ſit finitæ virtutis. Et confirmatur; quia perfectionis eſt in aliquo ente, quod non eſt omninò perfectũ, poſſe acquirere aliquam perfectionem, quamquam accidentalem: Sed Angelus non eſt ens vndequaque perfectum, cùm ſit ens finitum, atque cauſatum, &c. ergò perfectionis eſt in eo, poſſe

Ratione naturali probatur Angelos eſſe per ſe mobiles.

poſſe ſibi acquirere aliquam perfectionem: ſed per motum localem Angelus poteſt ſibi acquirere aliquam perfectionem, ſcilicet vbi, vel præſentiam cum aliquo corpore, circa quod poteſt operari.

Obiectio. Dices; Angelus eſt in potentia contradictionis: ergò corruptibilis: & vlterius ſequitur quòd ſit ens in potentia; quia ex Ariſt. 3.phyſ. tex. 6. motus eſt actus entis in potentia, ſecundùm quòd in potentia: Angelus eſt ens, quòd eſt maximè actus: ergò. Ampliùs actus ſemper eſt perfectior eo, cuius eſt actus; nihil autem eſt perfectius Angelo.

Solutio. Sed hæc nihil obſtant. Non primùm, quia eſt in potentia contradictionis ſecundùm quid, non ſimpliciter, quam etiam Ariſt. concedit in ſempiternis, 9.metaph.tex. 17. quo in loco licèt neget illã potentiam contradictionis ſimpliciter; inquit enim; *Nihil igitur incorruptibilium ſimpliciter, potentia eſt ens ſimpliciter, vel, potentia ſimpliciter eſt (ſecundùm aliam translationẽ) ſecundùm aliquid autem nihil prohibet, vt quale, aut vbi*, & D. Th. de potentia ſimpliciter contradictionis; & ſecundùm quid, rectè textum interpretatur.

Sempiterna ſunt in potẽtia cõtradic. ſecundùm quid, ex Ariſt.

Ad confirmationem dicitur, quòd ſenſus illius authoritatis Ariſtotelicæ non eſt, quòd mobile non ſit ens in actu; ſed talis: quod cùm in ipſo mobili ſint duæ rationes, ſcilicet, eſſe in actu, & eſſe in potentia; motus eſt actus eius, non quatenus eſt in actu, ſed quatenus eſt in potẽtia; ita Scot. Quodl.3. lit.H. & in 2. diſt. 12. quæſt.1. & ſic concedimus nos, Angelum eſſe in potentia ad motum: nec eſt inconueniens, cum Angelus in eſſentia ſua omnem perfectionẽ non habeat, ſitq; capax vlterioris perfectionis: & quamquam illa perfectio ſit minoris perfectionis abſolutè conſiderata natura Angelica, nihilominùs perfectio eius dicitur; ſicut omnis actus dicitur perfectio potentiæ ſiue actiuæ, ſiue paſsiuæ, ex Ariſt. 9. metaph. tex. 15. & 16. & inde (exceptis tamen malis in quibus actus eſt deterior potentia) intellectio enim eſt perfectio intellectiuæ potentiæ, quia actus eius; & viſio potentiæ viſiuæ, & tamen ſunt accidentia, & longè ignobiliora ſuis potentijs, &c. nõ eſt igitur inconueniens Angelũ poſſe ſibi acquirere vlteriorem perfectionem, quamquam accidentalem, & conſequenter moueri localiter, ita Scot. in 2.diſt.2.quæſt.9.& in 4.diſt.49.quæſt.14.

Motus. *Ariſt.*

Concluſio diſcurſus. Ex his colligitur, quòd cũ Angelus ſit per ſe mobilis, & phyſicè, & nõ ſit corpus, quòd mobilitas, quæ eſt prima paſsio phyſica, non eſt adæquata corpori naturali, etiã vniuerſè ſumpto,

ſed

ſed illud excedit: ergò ſubiectum adæquatum illius Paſſionis, & de quo per ſe, & primò talis paſsio verificatur, eſt ſubſtantia finita naturalis ſub qua continentur etiam Intelligentiæ. Nec officit inſtantia de accidente ſeparato, quod quidem mouetur localiter: quia nos loquimur ſecundùm Philoſophiã, & rationem naturalem: ratio autem naturalis oppoſitum de accidente docet: ſicut enim ratione naturali non poteſt conuinci, accidens ſeparari poſſe à ſubiecto (ordo enim vniuerſi, qui eſt maximum principium naturalitatis, expoſcit, vt accidens ſit in ſubiecto.) ſic nec per ſe moueri ſine ſubiecto. At ratione naturali comprehendimus, Intelligentias poſſe localiter moueri, vt ſuperius oſtenſum eſt: vnde potius conuincitur, quòd motus localis conueniat accidenti per accidens, ad motum .ſ. ſubiecti, ſicut dicitur 2. Topic. cap. 11. *motis nobis, mouentur omnia, quæ ſunt in nobis, &c.* quàm conueniat ei per ſe. Quæ verò per accidens ſunt, à ſcientia excluduntur, ex Ariſt. vel ad ea, quæ ſunt per ſe reuocantur. Ex hoc notabili patet, quomodo Scotus, & Scotiſtæ non innaturaliter loquuti ſunt, vt immeritò, & parum modeſtè eis impingit Caiet. etenim ſi aſſerunt Scotiſtæ, Intelligentias mobiles eſſe motu locali; hoc ratione naturali conuincunt, & non operiunt errorem ſuum Theologicæ pietatis nomine, vt ipſe ait, & concedimus libentiſsimè, Philoſophum naturalem Ariſtotelicum non oportere contra Scotiſtas ſic loquentes diſputare; cùm Ariſt. doceat, ſubſtantias illas eſſe omninò immobiles, vt ſuperiùs viſum eſt: tamen Philoſophus naturalis ſimpliciter, nulli authoritati aſtrictus, ſed tantùm ratione naturali, & acumini intellectus innixus, poteſt contra illos diſputare. Quod autem Angeli ſint ſubiectum motus continui, non ſolùm ex ſacra Theologia, & ex Patribus, verùm etiam ex ratione naturali Scotiſtæ deprehenderũt, & quòad hoc Scoti ingenium potius commendandum erat à Caiet. quàm contumelijs afficiendum.

Soluitur tacita obiectio.

Auth. defenſio Scotiſtarum.

Scoti ingeniũ cõmendãdũ.

Quartò, quid per mobile debeamus re vera intelligere accipiendum eſt. Nulli enim dubium eſt, apud Ariſt. hæc duo, eſſe mobile, & eſſe naturale, interdum pro eodem vſurpari, pro eo ſcilicet, quòd habet in ſe principiũ motus, & quietis. Nihilominùs rigoroſè loquendo, mobile ſignificare videtur, id quod habet aptitudinẽ, & potentiã ad moueri, quæ aptitudo, vel potentia ad moueri non eſt quid eſſentiale rei mobilis, ſicut quælibet paſſio nõ eſt de eſſentia ſubiecti. At maior difficultas eſt, an per mobile debeamus intelligere id, quod mouetur tantùm motu

Not. 4.

Quid per mobile nos intelligimus.

Difficultas expenditur.

motu accidentali, vt eſt motus ad tria prædicamenta, ſcilicet ad quãtum, ad quale, & ad vbi, qui eſt propriè motus ex Ariſt. 5. phyſ. cap. 2. & 3. An verò debeamus intelligere quodcumque mobile phyſica mutatione ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali.

Scotiſtarũ quorundã opinio, & ratio.

Sunt qui exiſtimant, etiã ex Scotiſtis, quòd per mobile in propoſito intelligendum ſit ſolùm id, quod accidentali motu eſt mobile: exiſtimant .n. naturam definitam ab Ariſt. in 2. phyſ. tex. 3. eſſe principium ſolummodò motus accidentalis; & hac fortè ratione conuicti: quia nõ poſſunt ſaluare materiam, quæ eſt ſubiectum generationis, nõ propriè mutari; nam ſi illa propriè mutatur, ergo quid vniuerſalius corpore eſt ſubiectum Philoſophiæ; alioquin prima paſsio phyſica ſubiectum excederet, quod eſt maximum inconueniens, & Caiet. vt hoc idem effugeret, dixit, quòd licèt mobile videatur prima facie ſonare ſubiectum motus, ſi tamen reſtringendum eſt in propoſito magis tenendum eſt terminatiuè, quàm ſubiectiuè: nam aliquid, inquit, eſt mobile dupliciter; vel ſubiectiuè, quod eſt ſubiectum motus, vel terminatiuè, quod eſt terminus motus, & mutationis propriùs: tamẽ mobile in propoſito tenetur tãm terminatiuè, quàm ſubiectiuè. Subdit tamen, iudicio ſuo tenendũ eſſe indiſtinctè, non tamen ea ratione, vt ſit cõmune ad omnia quocunque modo mobilia, contineatque vt partes ſubiectiuas, materiam, & formam; ſed ea ratione potiùs, quam ex ſenſu ſupponere oportet: perhibent enim nobis ſenſus mobilia eſſe; an autem ſubiectiuè, an verò terminatiuè mutentur ea, quæ moueri videmus, ratione magis diſcernitur, quàm ex ſenſu habeatur.

Caietan. *Mobile duplex ſecũdũ Caiet.*

Reijcitur Caiet.

Sed hoc gratis à Caietano dictum eſt; ſi enim mobile ſignificat id, quod mouetur ſubiectiuè, & terminatiuè, cum materia ſit ſubiectum motus, largè ſumendo motũ, moueaturq; ſubiectiuè; ſequitur, quòd ſub mobili in communi tamquam pars ſubiectiua contineatur materia, & quodlibet mobile; alioquin paſsio ſubiectum excederet, quod non eſt admittendum. Vlterius motus, & mutatio potiùs reſpiciunt ſubiectũm, quàm terminum, vt patet ex diffinitione motus, 3. phyſ. tex. 6. & 10. *Motus eſt actus entis in potentia ſecundùm quòd eſt in potẽtia*; & ex definitione mutationis, 6. phyſ. tex. 32. & 73. *mutatio eſt, qua aliquid aliter ſe habere poteſt nunc, quàm priùs*: quæ diffinitio tantùm ſubiecto mutationis, non termino conuenit; vt ex lit. Ariſt. quilibet benè inſtructus percipiet. Præterquam quod probatur ratione; quia terminus nõ ſe habet taliter nunc, quàm

Motus, & mutatio ſubiectum potius reſpiciunt, quàm terminum.

Ratio efficax:

quàm priùs ; nam vel eſt terminus à quo, vel ad quem : non terminus à quo, quia ille nō eſt, & ſic nō ſe hēt aliter : quia aliter ſe habere entitatē includit ſe habētis aliter nec eſt terminus ad quē ; quia iſte nunc primò eſt, & ideò nō ſe habuit aliter priùs, quàm nūc : quò fit, vt nihil propriè dicatur mutari, vel moueri terminatiuè, ſed tantùm ſubiectiuè ; vt exactiſsimè docet Scot. in 4. d. 11. q. 1. eſtq; veriſsimè doct. Ariſt. eſt. n. mutatio formaliter actus, & forma rei mutabilis, quæ aliter ſe hēt nunc, quàm priùs ; & omne quod mutatur ex Ariſt. ex quodā in quoddam mutatur ; & omnis mutatio ex quodā in quoddā eſt 5. ph. tex. 3. & 7. & in 6. ph. tex. 3 1. & 41. & tex. 87. ait ; omne, quod mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quē ; tale autem non eſt, niſi ſubiectum ipſum, quod mouetur à termino à quo ad terminum ad quem ; quod quidem quando eſt in termino ad quem, mutatum eſt, & non ampliùs mutatur ; cùm autem eſt in termino, ex quo mutatur, & ipſum, & partes oēs non mutantur. Neceſſe eſt igitur id, quòd mutatur, partim in hoc eſſe. ſ. in termino à quò, & partim in alterius ad terminū ad quē : impoſsibile. n. eſt, vt id, quod mutatur in neutro termino ſit ; aut quod in vtriſq; terminis totū ſimul ſit. Sequitur, igitur, quod nihil ex Ariſt. mutatur terminatiuè, ſed tātùm ſubiectiuè ; & 5. phyſ. tex. 3. declarando ea, quæ ccurrùnt in quolibet motu, & mutatione ; quinque enumerat ; . ſ. id, quod mouetur ; tēpus in quo mouetur, primū mouens, terminus à quo, & terminus ad quē ; quia omnis motus ex quodā in quoddā eſt : & infert, quòd non eſt idē id, quod primò mouetur ; id, ex quo mouetur, & id, in quod mouetur. Dat exēplum de ligno calido, & frigido, quorum aliud eſt, quòd mouetur, aliud, in quod mouetur, aliud ex quo. Deinde cuius actus ſit motus, vel mutatio, ſatis dilucidè oſtendit, quod eſt noſtrum propoſitum, & inquit : *Motus manifeſtum eſt, quòd in ligno eſt ; non in forma ; neque . n. mouet, neque mouetur forma, &c.* quibus verbis ſignificat Ariſt. vt etiam D. Th. in tex. exponit, quòd motus eſt in ligno, tamquam in ſubiecto ; non autem in altero terminorum ; & probat D. Th. ex Ariſt. quia illud ; in quo eſt motus, mouetur ; terminus autem motus, neque mouet, neque mouetur ; ſiue terminus motus ſit ſpecies, ideſt qualitas, vt in alteratione ; ſiue ſit locus, vt in motu locali, ſiue quantum, vt in motu augmenti, & decrementi ; ſed mouens mouet ſubiectum, quod mouetur, in quod mouetur, ideſt in terminum ad quem. Concludit D. Th. quia ergo motus eſt in ſubiecto, quod

Quinque concurrūt in omni motu.

Ariſtot. D. Thom. expoſit.

Concluſio D. Thom.

E mouce-

mouetur, non autem in termino manifeſtũ eſt, quòd ſubiectum mobile eſt aliud à terminò motus; &c. Et 1. de gener. Ariſtot. *Ariſtot.* text. 30. diſcrimen ponens inter generationẽ, & alias mutationes, ex parte ſubiecti illud ſtatuit, docens ſubiectum generationis eſſe ens in potentia, ideſt materiam; ſubiectum verò aliarum mutationum eſſe ens in actu; quamquam potuiſſet aſſignare diſcrimen, etiã ex parte termini; quia terminus generationis eſt ens ſimpliciter, ſiue cõpoſitum; terminus verò aliarum eſt accidens. *Authoris diſcurſus ex Ariſt. & Scoto.* Veriſſimum tamen eſt hoc, quòd quælibet mutatio, vnde talis eſt, nõ eſt termini formaliter, ſed ſubiecti; ſic etiam generatio; generatio. n. non eſt mutatio, nec inferior ad mutationem, ſicut ſpecies ad genus, niſi vt conuenit ſubiecto. Ita Scotus in 4. diſt. 11. quæſt. 1. In generatione. n. ſunt duæ rationes, ex ipſo Scoto in 1. diſt. 2. quæſt. 7. lit. R. & diſt. 5. quæſt. 2. *§. ideò tenendo, &c.* ſcilicet, ratio mutationis, & ratio productionis. Secundum quod eſt mutatio, eſt inferior ad mutationem; & ſic rectè dicitur ab Ariſt. generatio eſt mutatio totius in totum, 1. de gener. tex. 23. & vt ſic eſt forma ſubiecti mutati, quod à priuatione ad formam tranſit. Vt autẽ eſt productio, eſt termini producti, vt via: quæ duæ rationes nõ ſe includunt eſſentialiter; diuerſa. n. reſpiciunt primò; nam ratio mutationis reſpicit primò ſubiectum; ratio productionis verò terminum; & ſunt iſtæ rationes de facto ſeparabiles. Quãquam gratia materiæ in creaturis ratio mutationis concomitetur rationem productionis; gratia materiæ, inquã propter imperfectionem potentiæ generatiuæ, quæ nõ poteſt dare eſſe totale primo termino generationis, ſed aliquid eius præſuppoſitum tranſmutat ad aliam partem; ideſt, tranſmutat materiã illam, quæ eſt ſub vna forma, ad aliam formam. Patet igitur ex Ariſt. officina, mobile potiùs ſignificare id, quod ſubiectiuè mutatur, quàm id, quod terminatiuè dicitur moueri à Caiet. imò propriè nihil dicitur mutari, vel moueri terminatiuè. Miror mul- *Admiratio Auth.* tum Caiet. aliàs quidem doctiſſimum quomodo in hunc errorem contra Philoſophiam Ariſt. & veritatem inciderit.

Obiectio. Dices. Sicut aliquid terminatiuè dicitur generari, & corrũpi; ſic etiam aliquid dici poteſt terminatiuè mutari; ergò non ſolùm ſubiectiuè.

Solutio, & pro ſolutione not. Reſpond. & aduertendum eſt, quòd licèt concretiuè dicatur aliquid generari, & corrumpi terminatiuè, vt compoſitum, & aliquid ſubiectiuè, vt materia, quæ eſt ſubiectum generationis, & corruptionis vt docet Ariſt. & præter alia loca in 1. de gener.

tex.

tex. 14. in fine, inquiens; *eſt autem materia maximè quidem, & propriè ſubiectum generationis, & corruptionis ſuſceptibile:* non tamen generatio in abſtracto diſtinguitur in ſubiectiuam, & terminatiuam, ſiue obiectiuam, & multò minùs conſequenter mutatio. Ad dubitationem verò dicitur quòd quamquam aliquid dicatur ſic generari terminatiuè, ſiue obiectiuè; non tamen mutari, niſi tantùm ſubiectiuè; & ratio dicta eſt, quia generatio non eſt quid inferiùs ad mutationem, niſi vt conuenit ſubiecto generationis; vt autem comparatur ad terminum, qui accipit eſſe per eam; rationem productionis, non mutationis habet: & propterea aliquid poteſt dici produci, vel generari ſubiectiuè, quatenus in eo fiūt generationes; & aliquid generari, & produci terminatiuè, quatenus accipit eſſe verè per generationem: vndè Ariſt. 5. phyſ. tex. 8. ait, *quod mutatur, vel mouetur, eſt: quod autem non eſt, impoſsibile eſt mutari, vel moueri; quod autem generatur, non eſt,* ergò non mutatur; & conſequenter generatio in ordine ad ipſum compoſitum, quod verè, & per ſe generatur, 7. metaph. text. 29. non eſt motus, nec mutatio; licèt in ordine ad ſubiectum, ideſt materiam; vndè accidit generationi inquantùm huiuſmodi, quòd ſit mutatio.

Dices; vlterius corruptum eſt mutatum, & non ſubiectiuè, quia non manet: ergò obiectiuè, vel terminatiuè. *Obiectio.*

Reſp. cum Scoto in 4. vbi ſup. lit. V. quòd illud, quod conuenit parti per ſe, dicitur de toto per accidens, 5. phyſ. tex. 5. & quia materia corrupti eſt per ſe mutata à forma ad priuationem; ideò hoc totum poteſt dici per accidens mutari. *Solutio.*

Si igitur res ita ſe habet, difficile eſt ſaluare, quonam pacto mobilitas ſit paſſio adæquata corporis naturalis, cùm materia non ſit corpus: ſumendo mobilitatem, non prout aptitudinem dicit ſolùm ad motum accidentalem, verùm etiam ad omnem motum, & phyſicā mutationē. Fauent. nititur multis rationib. probare, materiā nō moueri, ſaltē per ſe: ſed vt verùm fatear, nullius roboris videntur, nec ſolutione indigentes; ideò illas omitto, ne multùm in longum protrahatur diſputatio. *Concluſio diſcurſus.* *Reijcitur Fauent.*

Ad rationem, qua probatur à Thomiſtis, materiā eſſe ſubiectum motus, vel mutationis, quia eſt ſubiectum generationis; & nihil dici ibi mutari, niſi materiā; vt patet ēt ex doct. Scoti.

Reſpondet, quòd materia dicitur ſubiectum generationis, ſumendo ſubiectum pro fundamento, ſuper quo ſit motus; nō autem ſumendo ſubiectum pro mobili, quod ſubijcitur motui; *Reſponſio Fauentin. ad rationē Thomiſt.*

& mutatur; quomodo accipitur ſubiectum in definitione motus, 3. phyſ. aſsignata, & ſic materia non eſt ſubiectum motus, quia non generatur, nec corrumpitur, ſed corpus naturale.

Impugnatur. Hæc reſponſio nulla eſt, & non euadit ipſius diſtinctionis difficultatem, imò cōtinet falſitatem. Probo hæc omnia ſimul: quia in qualibet generatione naturali ex Ariſt. tria ſunt præſertim: id ex quo aliquid generatur, vt ex oppoſito, & eſt priuatio; id quod propriè generatur, & ieſt compoſitum; & materia, quæ manet ſub vtroque termino tranſmutationis, & oppoſitionis. Tunc quæro, quod nam horum mutetur in generatione: Non compoſitum; vt patet ex Ariſt. *Quod non eſt, non mutatur*, & ex Scoto, licèt dicatur generari terminatiuè, non tamen mutari: non terminus à quo, quia non eſt; non forma, quia illa tūc primò eſt, & nō dicitur propriè generari, ex Ariſt. 7. metaph. tex. 27. Ergò materia ipſa verè dicitur mutari, vt ſubiectum in generatione, & non compoſitum. Confirmatur. Generatio eſt trāſmutatio ex Ariſt. 1. de gener. tex. 10. vel ergò ratione termini producti, quod eſt compoſitum naturale; hoc autem non concedit Scotus ex dictis ſupra: vel ratione termini à quo, & nequaquam; vel ratione formæ, & neq; etiā; ergò ratione ſubiecti, ideſt materiæ, quæ eſt verè ſubiectum mutationis; aliter enim ſe habet in generatione nunc, quàm priùs, cùm tranſeat à priuatione ad formam. Vndè hac ratione, ſecundùm Scotū, creatio dicitur productio tantùm, & non mutatio; quia non præſupponitur in creatione materia, quæ aliter ſe habeat nunc, quàm priùs. Quare creatio eſt formaliter actus rei productæ tantùm; generatio verò ratione mutationis eſt actus formaliter ſubiecti mutabilis, ratione verò productionis eſt actus formaliter ipſius producti.

Hinc dicebamus, quòd naturam definitā in 3. textu 2. phyſ. tenentes, eſſe principium tantùm motus accidentalis, & nomine mobilis intelligentes ſolùm mobile motu accidentali, facili negotio ſaluant, quòd materia non eſt ſic mobilis; quia motus accidentalis eſt actus entis exiſtentis in actu completo, quamquam eſſe ſic in actu accidat ei, vt eſt ſubiectum motus, quia conditio per ſe mobilis, ad hoc vt moueatur, eſt vt ſit in potentia. Vt ſubtiliter tetigit Scotus in 2. diſt. 12. quæſt. 1. lit. I. nihilominùs eſt neceſſariò requiſitum ad hoc, vt mobile moueatur; valdè n. refert dicere: eſt conditio per ſe mobilis, & eſt conditio neceſſariò requiſita ad hoc vt moueatur, tamen per accidens ei conueniens: contingit enim, quòd aliquid ſit neceſſa-

ceſſariò requiſitum, & non ſit per ſe: exemplum habes de priuatione, quæ eſt principiū per accidens naturæ, 1.phyſ.tex.66. & tamen requiſitum neceſſariò; quia ſine tali priuatiuo principio generatio naturalis non eſſet. Aliud exemplum. Vnio partium neceſſariò exigitur ad eſſe totius, non tamen illa vnio eſt eſſe totius. De qua re vidēdus eſt Scotus in 2. vbi ſupra, & in 3. diſt. 2. q. 2. *§. quantū ad tertiū*: quo in loco redarguit Auerr. qui nō diſtinxit, 1.phyſ.comm. 17. inter illud, quod eſt per ſe, & illud quod neceſſariò cōcurrit ad eſſe alicuius. Quicquid ſit de hoc; nō poſſunt tamen hi Scotiſtæ doctr. Scoti, quam habet in 2. diſt. 18. effugere; vbi docet, naturam definitam in tex. 3. 2. phyſ. non ſolùm eſſe principium motus accidentalis, verùm etiam ſubſtantialis, vt eſt generatio; generatio .n. dicitur naturalis ſecundùm Scotum à principio paſsiuo; quamquam dici poſsit naturalis etiam à principio actiuo, ſumendo naturā pro agente naturali; ſed non eſt ad rem: loco .n. allegato contra ponentes inchoatiuum formarum, contendit probare, non eſſe conſtituendum illud, vt coagat extrinſeco agenti propter naturalitatem generationis; quia generatio eſt naturalis ex parte principij paſsiui, quod eſt natura. Et inter alia, diſcrimen aſsignans inter artificialia, & naturalia iuxta doctrinam Ariſt. 2. phyſ. tex. 2. & 3. ex parte principij paſsiui, & non actiui illud aſsignat; naturalia enim, inquit, habent principium inclinans, & tendens in hoc, ad hoc, vt ſic agantur; artificialia autem nō habent huiuſmodi principium paſsiuū, ſic inclinans ad talem, vel talē formam. Demùm concludit: ad hoc igitur, quòd motus ſit naturalis, ſufficit, quòd potentia paſsiua rei ſit ad talem formā inclinata; nec requiritur ibi principiū actiuum aliquod intrinſecū, ſed à quocunque agente agatur, erit quod acquiritur, ſimpliciter naturale, ſolùm propter illam inclinationem ex parte principij paſsiui; & in fine *§*. ait, lit. D. quòd reſpectu nullius formæ pōt eſſe generatio violenta in materia; quia materia naturaliter inclinatur ad quamlibet formam inducendam in eam; Fateor tamen Ariſt. in tex. 1. 2. phyſ. mentionem tantùm facere de motu accidentali, dum ait, quæ enim natura ſunt, omnia videntur habere in ſe ipſis principiū motus, & ſtatus, hæc quidē ſecundùm locum; illa verò ſecundùm augmentum, & decrementum, quædam verò ſecundùm alterationem; tamen in tex. 3. loquitur de ijs, quæ fiunt ab arte, & à natura, de illis loquēs dicit; quòd nō habēt in ſe ipſis factionis ſuæ principium. Quod autē negat de artificialibus concedit in eodem

Contra Scotiſtas.

textu de naturalibus. Et præterea motus accidentales ſunt notiores motu ſubſtantiali; ideò in illis exemplificat; ſicut etiã facit 17. metaph. tex. 16. & 17. vbi de formis loquens, exemplificat de accidẽtalibus. Denique vt ait Scot. in 12. diſt. 2. q. 1. indiſtinctè, & in vniuerſali loquitur Ariſt. de motu vſquè ad 5. lib. Ergò quando definit principium motus, quod ait eſſe naturam, definit principium omnis motus in communi, & mutationis. Noſtra igitur intereſt, oſtendere, quonam pacto mobilitas ſit paſsio adæquata corporis naturalis vniuersè ſumpti; & qualiter materia ſit ſubiectum motus, ſiue mutationis: Vndè aduertendũ eſt, quòd, vt Ariſt. docet, re vera res ſunt ſpecies motus, ſcilicet, augmentatio, & diminutio; alteratio, & loci mutatio, 3. phyſ. tex. 9. & 17. & 7. phyſ. tex. 10. & alibi ſæpiſsimè. Et id propriè dicitur, mobile, quod ſecundùm aliquam harum ſpecierum eſt mobile, ex Ariſt. in 7. vbi ſupra. Generatio autem ab Ariſtot. 5. phyſ. tex. 8. 9. 14. 94. & indè inter ſpecies motus non enumeratur; cuius præcipuum fundamentum eſt: quia omne, quod mouetur eſt, quod autem non eſt, impoſsibile eſt moueri: id autem, quod generatur, nõ eſt: non poteſt igitur generatio vllo modo dici motus; & conſequenter neque corruptio; quia motui motus eſt contrarius, vel quies: generationi autem ipſa corruptio cõtraria eſt, & inſuper quilibet motus eſt ex contrario in contrarium; generatio autem ſolùm ad contrarium eſt, ideò nõ eſt motus. Nihilominus generatio, & corruptio mutationes ab Ariſt. cenſentur; vt patet ex his, quæ docet per totum ferè quintum phyſ. præſertim tex. 7. & loc. ſuperiùs allegatis, 3. phyſ. tex. 4. & 12. metaph. tex. 7. & 1. de gener. tex. 10. & 23. dum ait, *generationem eſſe mutationem totius in totum, &c.* Et ideò aſsignare oportet ſubiectũ, quòd talibus mutationibus ſubijcitur; quod non eſt niſi materia, vt docet Ariſt. locis ſuper. allegat. & 1. de gener. tex. 24. quæ à priuatione ad formam tranſit, & à forma, ad priuationem illius. Hoc totum eſt huc uſque indubitatum: tota autẽ difficultas eſt, an materia ſit mutabilis per ſe aliqua phyſica mutatione. De accidẽtali mutatione pars negatiua eſt certiſsima; ſubiectum .n. mutationis accidẽtalis eſt ens completum; quod quidem vel ad quãtitatem, vel ad qualitatẽ, vel ad vbi mutatur, materia verò ad nullam formam accidentalem immediatè mutari poteſt: non enim eſt ſubiectum formarum accidentalium immediatũ: præterquãquod Ariſt. 1. de gener. diſtinguit generationẽ ab alijs mutationibus, probans etiam

Autoris conatus circa paſſionẽ adæquatã corporis naturalis.

Ariſt. doctr. preclarè explicatur.

Difficultas aperitur, & diſſoluitur.

ipſam

131

ipſam non eſſe motum; quia ſubiectũ cæterarum mutationum, quæ sũt verè motus, eſt ens in actu: ſubiectum generationis eſt materia, quæ eſt ens in potentia. De ſubſtantiali difficultas eſt maxima; veriſſimum .n. eſt, quòd materia tranſit à priuatione ad formam; & dicitur hoc modo aliter ſe habere; *mutari enim, eſt aliter ſe nunc habere quàm priùs, 6.* phyſ. 32. & Ariſt. inquit, quòd in generatione nihil mouetur, cùm nihil ſit in actu: & 3. phyſicor. tex. *6.* exponens definitionem motus, quam aſſignauit, .ſ. *quòd motus eſt actus entis in potentia,* ait, *quòd alteratio, inquantùm huiuſmodi eſt actus alterabilis; & latio eius, quod fertur; & accretio, ac diminutio eius, quod augetur, & diminuitur; & generatio eſt actus rei generabilis, & corruptio actus rei corruptibilis.* Ac certiſſimum eſt, quòd materia non eſt generabilis, neque corruptibilis, 1. phyſ. tex. 82, qua igitur ſpecie mutationis dicitur mutari? Siſtendo ergo in ſententia Scoti, & Ariſt. quòd materia propriè mutetur in generatione, quatenus ſe aliter habet nunc, quàm priùs per ſe, quamquam non moueatur, nec ad compoſitum, nec ad formam ſubſtantialem; quia omne quod mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem: vnde quando eſt in termino à quo, non mouetur, ſed quieſcit; quando etiam eſt in termino ad quẽ, non mouetur, ſed quieſcit; vt ait Ariſt. *6.* phyſ. tex. 32. materia igitur, quando eſt in potentia ad formam ſubſtantialem, non mouetur, ſed quieſcit; quando verò actu eſt ſub illa, nec mouetur, ſed quieſcit; *habitibus enim præſentibus in materia ceſſat motus,* 2. de gener. tex. *56.* Nec poteſt dici, quòd partim ſit in potentia ad formam ſubſtantialem, partim verò in actu; quia forma ſubſtantialis introducitur in inſtãti, generatio enim eſt mutatio inſtantanea. *Difficultatis reſolutio notabilis.*

Dico, quòd per mobile mutatione phyſica, intelligo omne id, quod ita mutatur, quòd non ſolùm eſt ſubiectũ mutationis, verùm etiam terminus eius; quo pacto non eſt materia; quia licèt materia ſit generationis, & corruptionis ſubiectum, non tamen eſt terminus; quia generationis terminus eſt compoſitum ſubſtantiale, ſicut etiam corruptionis ipſum compoſitum corruptum. Et quamquã vt terminus non dicatur propriè mutari; dicitur tamẽ terminus mutationis, & motus: hinc Ariſt. negat, compoſitum ſubſtãtiale, quod eſt terminus mutationis, mutari: quia mobile nõ ſolùm debet eſſe terminus motus, ſed etiam ſubiectum motus, & non ſolùm ſubiectum, verùm etiam terminus; & ſic licèt materia mutetur in generatione, generatio *Reſolutio Author.*

tio

tio tamen ad eam non terminatur: eſt .n. fundamentum tan-tùm, & ſubiectum generationis; ideò eam mobilem aliqua mutatione phyſica, non cenſemus; tùm etiã, quia in gratiam alterius, non ſui mutatur, .ſ. in gratiam compoſiti; ideò mutatio eius ad mutationem compoſiti phyſici ordinatur; & poteſt dici ſic mutari propter aliud: omne autem propter aliud reducitur ad id; quod eſt per ſe: Etſi hæc non placent; dicamùs, quòd ipſa dicitur mutari, quatenùs eſt fundamentum, & radix omnis motus, & mutationis, iuxtà illud Ariſt. 12. metaph. tex. 10. *cuncta, quæ mutantur materiam habent*; & 8. met. tex. 4. vbi inter alia docet, quòd ſicut in qualibet alia tranſmutatione eſt ſubiectũ; ſic in generatione, & illud eſt materia; ad quam tranſmutationem, ideſt generationem oẽs aliæ ſequuntur; & quia ſcientia conſiderat non ſolùm ſubiectum; verùm etiam principia paſsionis ſubiecti; ideò conſiderat de materia, quæ eſt principiũ, & radix mobilitatis; vnde ex Ariſt. poteſt talis demonſtratio fieri.

Omne quod habet materiã (proportionaliter loquẽdo propter cælum, vt ipſemet ſe explicat, 12. metaph. vbi ſuprà; & 8. metaph. tex. 14.) eſt mobile aliqua mutatione phyſica. Sed corpus naturale hẽt materiam; ergo eſt mobile aliqua mutatione phyſica. Sicut ſi diceretur: omne quod habet rationalitatem, eſt riſibile, ſed homo habet rationalitatem; ergo homo eſt riſibilis.

Obiectio. Dices. Fundamentũ mobilitatis, ſiue ratio formalis ſubiectiua demõſtrandi hanc paſſionem de corpore naturali, eſt naturalitas ipſa, ſiue natura, vt dicit Ariſt. & Scot. ergo non materia; quia licèt materia ſit natura, principaliùs tamẽ dicitur natura de forma; & ſecundùm Scotum, magis natura dicitur de forma, vt eſt principiũ paſsiuum motus, quàm de materia; vnde in 2. diſt. 18. quæſt. vnic. lit. C. inquit, quòd motus lapidis deorſum eſt ex forma, ideſt grauitate lapidis; nam per eãdem formam, per quam res eſt hæc, per eandem eſt receptiua paſsionis conſequentis naturaliter naturam eiuſdem rei. Et inſuper materia eſt indifferens ad omnem motum.

Solutio. Reſpondeo, quòd ſi loquamur de fundamento proximo mutationis ſubſtantialis naturalis, vt eſt generatio, illud eſt materia, non forma, ex eodem Scoto, vbi ſupra: & in 1. diſtin. 13. quæſt. vn. *§. ad argumenta*, ad primum; forma enim ex Ariſt. 2. phyſ. tex. 14. eſt finis, ideſt terminus formalis generationis, nã finis, & forma coincidũt in idem numero in eod. lib. tex. 70.

Natu-

Naturalitas enim generationis eſt ex materia, quæ naturaliter inclinatur ad quamlibet formam; ſi autem loquamur de alijs motibus, nulli dubium eſt, quòd forma eſt fundamentum tale, materia verò remotum; quia ſi illa forma non eſſet in materia, non poſſet dare eſſe ſpecificũ, & formale tali rei, & conſequenter inclinationem ad talem, vel talem motum, &c. Vndè, quòd compoſitum ipſum ad talem, vel talem motum naturaliter inclinetur, & illo naturaliter moueatur, ex forma habet; non tamen moueretur niſi materiam haberet: ex materia enim, & forma cõſurgit quidditas rei, cuius eſt propriè ſic moueri. Verùm ſicut à forma habet tale eſſe ſpecificũ, ita à forma habet, vt ſit ſic aptum moueri.

Alia ſolut.

Vel dico, quòd ratio demõſtrandi mobilitatẽ de aliquo abſolutè eſt materia; ſed ratio demonſtrandi mobile illud eſſe naturaliter tali motu mobile, eſt ipſa forma; vndè etiam generatio dicitur naturalis, quia eſt via ad naturam, ex Ariſt. 2. phyſ. tex. 14. ideſt, eſt via ad formam, quæ eſt natura. Ita Scotus diſt. 5. quæſt. 1. G.

Concluſio diſcurſus.

Fateor tamen, quòd ſicut verè motus eſt ad tria tantùm prædicamenta, ex Ariſt. ita verè, & propriè mobile eſt id, quod aliquo horum trium motuũ aptum eſt moueri, ex eod. Ariſt. reſpectu quorũ natura, prout dicitur de forma, eſt principiũ: materia verò verè mobilis non eſt, ſed mutabilis, quatenus .ſ. modò eſt ſub vno, modò ſub altero termino tranſmutationis, & eſt fundamentum, & radix omnis mutationis, & motus, vt ſupra dictum eſt.

Quartò not.

Tria ſunt, quæ per ſe ſpectãt ad ſciẽtiam.

Quartò accipiendum eſt, quòd ea, quæ ad ſcientiam aliquam per ſe ſpectant; vel ſunt principia ſubiecti, ſiue eſſendi, ſiue cognoſcẽdi; vel ſunt partes ſubiectiuè eius; vel paſſiones illius; quod ex Ariſt. 1. poſter. tex. 179. colligitur, dicente, *Scientiam eſſe vnius generis ſubiecti principia, partes, & paſsiones habentis.*

Quorund. talis tex. expoſit.

Quamquam aliqui nolint, Ariſt. ibi loqui de ſubiecti ſcientiæ cõditionibus, ſed de vnitate ſubiecti, à quo eſt vnitas ſcientiæ; ac ſi diceret Ariſt. illa ſcientia eſt vna, quæ eſt vnius generis ſubiecti, quamquam principia, partes, & paſsiones habeat; hoc tamen parum refert;

Reijcitur: cõditiones ſubiecti ſciẽtiæ naturaliter adinuẽtæ.

debet .n. ſubiectum ſcientiæ præſertim naturaliter adinuentæ, in qua ſubiectum eſt quoddam vniuerſale, habere principia, vel eſſendi, ſi põt habere, vel ſaltem cognoſcendi; hæc .n. ſunt omninò neceſſaria, vt per illa paſſiones de illo ſubiecto in illa ſcientia demõſtrentur; ſcientia enim nihil aliud eſt, niſi cognitio certa inhærẽtiæ propriæ paſſionis cum proprio ſubiecto, quæ acquiritur media demonſtratione, ſecundùm Scot. in 3. diſt. 14. quæſt. 2. lit. H.

Ex qua ſequitur alia conditio ſubiecti ſcientiæ neceſſaria, nimirum quòd debeat paſsiones habere de ipſo demonſtrabiles; & denique habere partes ſubiectiuas, de quibus prædicetur. Quæ conditiones, & aliæ, quæ cōmuniter aſsignantur, vt diximus in Logica, nimirum, quòd ſit vnum vnitate vniuocationis, quòd habeat, quod eſt, & quid eſt; & quòd omnia in ſcientia conſiderata ad illud, vt ad ſubiectū adæquatum, & propter quod illa eadem conſiderantur, ſiue directè, ſiue obliquè reducantur; de ſubiecto materiali inueſtigātur, & ad illud pro ſubiecto ſcientiæ conſtituendum exiguntur; quemadmodum ad conſtituendum ſubiectum formale requiritur, quòd ſit veluti abſtractum, quod non ſit ſuperius, vel inferius ſubiecto materiali; & quòd ſit prius, & notius quacunque paſsione demonſtrabili de ſubiecto materiali, vt per illud, tamquam per medium à priori, quælibet talis paſsio de ſubiecto materiali demonſtrari poſsit. Conditio autem illa ſubiecti, quæ additur à Scoto in Prol. ſent. quæſt. 3. §. *de ſecundo*, &c. nimirum virtualiter continere in ſe primò oēs veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectum: ſecundùm aliquos Scotiſtas non eſt communis omni ſubiecto ſcientiæ, ſed tantùm ſpecifico ſpecialiſsimè cōuenit: ſed miror certè, cur talem rationem obiecti primi ſcientiæ aſsignatam à Scoto, ad ſolum obiectum ſpecificum ſpecialiſsimè contrahant, & genericum ſubiectum excludant, cùm ex rationibus, quibus illam definitionem Scotus probat, oppoſitum colligatur: prima .n. eſt, quòd obiectum primum cōtinet propoſitiones immediatas; quia ſubiectū illarū continet prædicatum, & conſequenter euidentiam totius propoſitionis; propoſitiones verò immediatæ continent mediatas, ideſt concluſiones; ergo ſubiectum illarum propoſitionū immediatarū continet omnes veritates illius habitus. Secūda ratio eſt; quia primum ſubiectum hic dicitur, ideſt adæquatū, ex Ariſt. 1. poſt. c. de vniuerſali; obiectum enim ſcientiæ ſe habet ad ſcientiā, ſicut cauſa ad effectum: nō eſt autem cauſa adæquata, niſi primò virtualiter contineat totum effectum: & exponēs ſeipſum, quid intelligat per primò virtualiter continere, inquit: ſicut enim illud eſt primum ens, quod non dependet ab alio, ſed alia ab illo; ita ergò primò continere, eſt ab alijs non dependere in continendo, ſed alia ab eo; hoc eſt, quod circūſcripto omni alio manente intellectu eius adhuc contineret, & nihil aliud continet, niſi per rationem eius. Sicut igitur ex prima ratione obiectum primū ſpecificū continet propoſitiones immediatas, quia

Cōditiones ſubiecti material.

Cōditiones ſubiecti formalis.

Placitum quorundā Scotiſtarū reijcitur.

quia ſubiectum primum continet prædicatum, ſic enim ſubiectum genericum per propriam ſuam rõnem formalem continet ſuas propoſitiones immediatas; eadem ratione, & conſequenter omnes alias veritates illius habitus. Et ex ſecunda ratione. hab'eus; qui eſt vnus vnitate generica, quia obiectũ eſt vnum ſecundum genus, non põt cauſari à quolibet contento ſub illo ſubiecto generico, vt ait Scot. *§. contra*, &c. ſoluendo primum; quia obiecti ad ſcientiam non eſt proportio motiui ad mobile, vel actiui ad paſſiuum, ſed cauſæ ad effectum ergo (verba ſunt Scoti) *Non quodlibet contentum ſub illo communi reſpicit habitum illum, vt effectum eius, ſed tantùm aliquod primũ obiectum contentiuũ, quod virtualiter continet omnia ad quæ habitus ſe extendit*: Ergo ex ratione, & doctrina Scoti colligitur, quòd ſubiectum genericum contineat virtualiter omnes veritates, ad quas ſe extendit habitus. Vel dicendum eſt, quòd obiectum genericum non comparetur ad ſcientiam, cuius eſt ſubiectum, vt cauſa adæquata ad effectum adæquatũ, quod in ſententia Scoti non eſt dicendũ; præterquamquòd quomodo vnitas illius ſciẽtiæ erit ab eo, ſi à quo res hẽt vnitatem, ẽt habeat entitatem? Dicere igitur poſſumus cum Scot. in Prolog. q. 1. *§. ad tertiũ*, quòd ſicut ſubiectũ primorũ, ac cõmuniſſimorum principiorũ, ſcilicet ens, nõ poteſt eſſe ratio cognoſcendi, vel demonſtrandi aliquas paſſiones, niſi tantùm cõmuniſſimas, præter quas ſunt multæ aliæ ſcibiles de inferioribus ente; ita per illa principia cõmuniſſima nõ poſſunt demõſtrari illæ paſſiones de talibus entibus: cuius ratio eſt, quia mediũ non eſt propter quid reſpectu paſsionis, niſi quæ virtualiter includitur in ratione illius medij; in ratione autem ſubiecti cõmuniſsimi non includitur virtualiter aliqua particularis paſſio, ſed tãtùm cõmuniſsima; ita principia illa cõmuniſsima non includunt virtualiter aliquam paſsionem particularem, ſed tantùm cõmuniſsimam; quo fit, vt virtute talium principiorum de inferioribus ente, per ens diſtributum in eis, non ſciantur, niſi prædicata communiſſima; quia illud ſubiectum non põt diſtribui in omnibus ſuis inferioribus, niſi quoad prædicata cõmuniſſima; quia ſicut ſubiectũ taliũ principiorũ eſt cõmuniſsimũ, ſic & prædicatum. Cùm igitur præter veritates communiſſimas, ſint plures aliæ ſcibiles, quæ non includuntur virtualiter in principijs cõmuniſsimis, illæ remanerent ignotæ, niſi per propria principia virtualiter illas includẽtia ſcirentur: propterea Ariſt. 1. Poſter. dixit, *Quòd vera ſcientia ex proprijs principijs*

ad proprias concluſion:s procedit, non ex communibus; quòd totum hoc exemplo declaratur: nam licèt hæc propoſitio, .ſ. omne totū eſt maius ſua parte, virtualiter hanc includat, quaternarius eſt maior binario: non tamen includit hanc: quaternarius eſt duplus ad binarium, & ternarius ſe habet in proportione ſeſquialtera ad dualitatem: ad iſta .n. prædicata oportet habere media ſpecialia includentia ipſa. Ad propoſitum hæc omnia applicando, nullus negabit, ens, quod eſt ſubiectū cōmuniſsimorum principiorum, non continere virtualiter omnes illas propoſitiones, in quibus pōt ſumi ad illas demonſtrādas; vt ex dictis Scoti ſatis dilucidè colligere licet; & quòd potentialiter contineat illas veritates ſcibiles, ad quas demonſtrandas non pōt ſumi, vt medium; ergò continere virtualiter non eſt tantùm ſubiecti ſpecifici, verùm etiam generici, & cōmuniſſimi. Verùm ſaluari poſſunt Scotiſtæ præfati, ſi dicatur primò, quòd Scotus ait, de rōne ſubiecti primi eſt virtualiter cōtinere oēs veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectum: non ſic autem ſubiectum genericū, vel cōmuniſsimum continet omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectum, vt oſtenſum eſt; ſed tantùm ſpecificū, vt patet, quòd quamquam habeat ſingularia tamquam partes ſubiectiuas, de illis non eſt alia ſcientia, ex Ariſt.7. metaph. tex. 53. quàm ſub ratione ſpeciei; quia, inquantùm ſunt ſingularia, de illis non eſt ſcientia, quia neque demonſtratio, vt docet Scotus in 2.diſt.3.quæſt.6.M. Secundò, tenendò quòd ille habitus, cuius veritates continet obiectum primùm eius, ſit ſpecies intelligibilis illius obiecti quodl.15.I. & quòd generis non detur ſpecies intelligibilis, ſicut videtur tenere Scot. & quòd virtute illius obiecti primi cognoſcantur omnes illæ veritates ſcibiles de tali obiecto; obiectum enim habitualiter cognitum, virtualiter continet notitiam omnium veritatum illius habitus, ideſt ſpeciei intelligibilis, quas talis ſpecies reſpicit, non formaliter, quia ſic reſpicit obiectū primum; ſed ex conſequenti: & ſic idem eſt obiectum primum cognitum habitualiter continere notitiam omnium veritatum, quod ſpecies intelligibilis ipſius obiecti primi in memoria poſſe cauſare notitiam alicuius veritatis ſcibilis de illo obiecto in intelligentia; ſpecies .n. intelligibilis, quæ eſt repræſentatiuum formale alicuius obiecti; eſt repræſentatiuum etiam virtuale omnium prædicatorum, verificabilium de illo ſubiecto: Quomodocumq; igitur dicatur, ſiue ſic, ſiue altero illorū duorum modorum rectè, dicitur.

Concl. udi tur diſcur ſus.

Euaſio pro Scotiſtis præfatis.

Con-

Concludamus igitur hoc notabile dicendo, quòd, quidquid per ſe conſideratur in aliqua ſcientia naturaliter adinuenta, vt eſt præſertim Philoſophia naturalis, de cuius ſubiecto eſt diſputatio in præſenti: vel conſideratur, vt principium ſubiecti, vel vt pars ſubiectiua, vel vt paſsio illius, & conſequenter omnis veritas ſcibilis phyſica, vel eſt de ſubiecto primo, quæ ineſt illi ſubiecto primò per rationem formalem eius, vel eſt de parte ſubiectiua primi ſubiecti: aut eſt de aliquo, quod attribuitur ad ſubiectum primum; vel ad partem ſubiectiuã ſubiecti primi vniuersè ſumptã. Corpus igitur naturale, quod à nobis inferiùs ſtatuendum eſt pro ſubiecto, principia habet non eſſendi, quia materia, & forma ſunt principia corporis generabilis, & corruptibilis, quod concedit Fauent. Theoremate 4. & in hoc ſibi contradicit; habet tamen principia cognoſcendi, quæ poſſunt ſumi, vt media ad paſsiones demonſtrandas de corpore naturali, & inter alia hoc principium. Omne conſtans natura eſt mobile, ex Ariſt. corpus naturale eſt conſtans natura, ex 1. de cælo, tex. 1. ergo corpus naturale eſt mobile. Vel hoc principium, quod habet in 1. de cælo, tex. 5. omnia .n. naturalia corpora ſecundùm ſe mobilia ſecundùm locum eſſe dicimus, naturam .n. motus principiũ ipſis eſſe dicimus. Vel hoc aliud; Omne quod hẽt in ſe ipſo principiũ ſui motus, eſt mobile phyſicum; corpus naturale eſt huiuſmodi; ergo eſt mobile phyſicũ. Maior illa eſt Ariſt. 2. phyſ. tex. 1. & 3. & 71. & 73. Fundatur autem hoc principium in alio, ſcilicet. Omne, quod naturam habet, in ſeipſo principiũ ſui motus habet, quia natura eſt principiũ motus, &c. colligitur hoc ex tex. 2. & 3. ſecundi phyſic. & alibi. Habet etiam corpus naturale quid, definitur .n. in 2. phyſ. & in 1. de cælo; corpus naturale eſt illud, quod habet in ſe internũ principium ſui motus. Habet partes ſubiectiuas, nimirum corpus generabile, & corruptibile, corpus cæleſte, corpus animatum, & huiuſmodi. Habet etiam paſsiones: prima tamen, & præcipua, vt corpus naturale, eſt mobilitas, ſumendo mobilitatem, vel latè, pro quacunque mutatione, etiã ſubſtantiali, qua mutatione dicitur etiam corpus naturale, mobile, quatenus naturaliter generatur, eſtq; terminus illius mutationis naturalis; in quo ſenſu fortè aliqui diſtingunt corpus naturale mobile ad vbi, quod aiunt eſſe ſubiectum, in lib. de cælo, & corpus mobile ad formam; de quo aiunt conſiderari in lib. de generat. Tale corpus mobile ad formã non eſt materia, vt ſuperiùs probatum eſt; præterquamquòd ex Ariſt. 3. phyſ. tex. 6.

Concluſio huius notab.

Fauentin. ſibi cõtradicit.

Optima demonſtr. Alia ex alio ſecũdi principij.

Principia peripatet.

gene-

generatio eſt actus generabilis, ſicut alteratio eſt actus alterabilis; generabile autem eſt corpus naturale. Vel mobile ſtrictè, pro mobile .ſ. quod alteró trium motuum eſt mobile, ideſt vel motu locali, tantùm, vt eſt corpus cæleſte; vel quocunque motu, .ſ. locali, alterationis, & augmētationis, & diminutionis, vt eſt corpus generabile, & corruptibile, præſertim animatum. De hoc triplici motu, & de mobili ſecundùm alterum horum motuū vniuerſaliter loquitur Ariſt. vt patet ex his, quæ docet præſertim à 3. phyſ. vſque ad 8. incluſiuè, 1. de cælo, & 1. de generat.

Not. Quinto. Quintò notandū eſt, quòd Ariſt. 6. metaph. tex. 1. & 2. ſcientiam ſpeculatiuam realem diuidit in Phyſicam, Mathematicā, & Metaphyſicam, penès diuerſum modum conſiderandi, & definiendi res, circa quas verſantur: etenim ſcientiæ partitio à ſubiecto formali, ſiue à modo conſiderandi, non à ſubiecto materiali deſumenda eſt, iuxtà doctrinā Ariſt. quam tradidit 3. de anima, tex. 37. dicentis: *Secatur igitur ſcientia, & ſenſus in res*, & vt interpretatur Scot. in vniuerſalibus, & alibi, & 2. phyſ. cap. 2. intendit Ariſt. oſtendere diuerſitatē naturalis Philoſophiæ à cæteris facultatibus, præſertim à Mathematicis diſciplinis: (cum quibus videtur habere maiorē affinitatē.) & hoc penès diuerſum modū conſiderandi eaſdem res. Veriſſimum eſt igitur, & commune apud oēs, quod ſcientiæ ſecantur penès diuerſa obiecta formalia, ac modos conſiderandi, & definiendi res circà quas verſantur. Cumq; igitur triplex reperiatur rerū realium diuerſitas, triplex conſequenter eſt ſcientia realis: nā quædam res ſunt, quæ à materia non pendent, neque ſecundùm eſſe, neque ſecundùm rationem, ideſt diffinitionē; vel quia ſūt à materia abſtracta per eſſentiam, vt DEVS, & cæteræ Intelligentiæ, ex Ariſt. 12. met. tex. 30. Vel quia nō vniuerſaliter ſunt in materia, vt ſubſtantia, potentia, actus, & ipſum ens, & ſimilia; quæ dicūtur abſtracta per indifferentiā, quia indifferētia ſunt ad materialia, & immaterialia; vnde rectè ait D. Th. in Prologo Metaphyſicæ; quòd non ſolùm illa dicuntur eſſe à materia ſeparata, quæ nunquam poſſunt eſſe in materia, vt DEVS, & Intelligentiæ; ſed etiam illa, quæ poſſunt eſſe in rebus ſine materia; quia hoc ſatis eſt, vt in ſua ratione formali materiam non includant, neque illā per ſe requirant; nec per illam inſint rebus. Quædam verò ſunt, quæ licèt quo ad eſſe ſint in materia ſenſibili, & ab ea pendeant, non tamen ſecundùm diffinitionē: ſic ſunt res illæ Mathematicæ, vt numerus, magni-

Diuiſio ſciētiæ ſpeculatiuæ.

Scientiæ diſtinguntur per obiecta formalia diuerſa.

Tertiū rerū genus.

D. Th. opt. doctrina.

magnitudo, & figura; hæc enim ſunt accidentia corporis naturalis, tamen naturale corpus in eorum definitionem non ingreditur. Aliæ verò ſunt, quæ à materia pendēt ſecundùm eſſe, & ſecundùm diffinitionem; quia in materia ſunt, & ſine materia diffiniri nequeunt. Tales ſunt res phyſicæ, ſiue illæ compoſitæ ſint ex materia, & forma, ſiue ordinem dicant ad materiā. De primis rebus eſt Metaphyſica; abſtrahit enim hæc ſcientia à ſenſibilibus, ſeù materialibus rebus; quæ phyſicæ dicuntur, & res diuinas, & à materia ſeparatas, & cōmunes rōnes entis, quæ abſque materia rebus ineſſe poſſunt, contemplatur; ideò Metaphyſica dicta eſt, quaſi Poſtphyſicam; poſt, inquam, non dignitate, aut naturæ ordine, vt eleganter ait Scotus in 1. d.3. quæſt.2. M. ex Auicen. 1. metaph. cap.3. Sed originis, & acquiſitionis, ſeù ordine doctrinæ; vel dicitur Poſtphyſica: quia entia, de quibus conſiderat, vt præſertim ſunt entia ſeparata per eſſentiam, dicuntur eſſe Poſtphyſica entia, in altiori rerum ordine collocata: vnde hac ratione ſolent illā Philoſophi trāſnaturalem ſcientiam appellare; & Ariſt. illā Diuinam, naturalem Theologiam, ac Sapientiam, & omnium Dominam, & Reginā pluribus in locis, vt 1. 5. & 9. metaph. vocat. De ſecundis rebus verò Mathematicus ſpeculatur; quia ea, quæ conſiderat, abſque ordine ad ſenſibile corpus, vel materiam conſiderat, ac definit: conſiderat enim naturales formas, ſcilicet, quantitatem, numerum, ex. g. non conſiderata materia ſenſibili, cuius ſunt affectiones, & accidentia, & in qua ſunt ex parte rei. Nec eſt in hac abſtractione mendacium, ex Ariſt. 2. phyſ. vbi ſupra, quia eſt tantùm præciſiua, quæ ſupponit, quòd abſtractum in ſua ratione formali id à quo abſtrahit, nō includat: huiuſmodi autem accidentia, & formæ à Mathematico conſideratæ non in ordine ad materiam ſenſibilem, in ſua rōne formali materiā non includunt, ideò abſque illa conſiderari verè poſſunt.

Nota pul. chrā expoſitionem Authoris.

Ariſtot.

De vltimis rebus verò conſiderat Phyſicus, cuius eſt propriè conſiderare de materia ſenſibili, ideſt affecta qualitatibus, & accidentibus ſenſibilibus, ac per illam, & per motum diffinire, vt ait Ariſt. 6. metaph. tex. 2. Vnde formam cōſiderat in ordine ad materiam, et rotionalem ipſam; vt ex Ariſt 6. metaph. vbi ſupra, colligitur; etenim ipſa eſt naturalis forma ordinem naturalem dicens ad materiam, ſiue ad corpus, in quo etiam eſt principium formale phyſicarum operationum, etiam prout ab homine, vt homo eſt illæ exercētur; vt docet Scot. quodlib. 9. Vndè Ariſt. 2. de anima tex. 6. definiens vniuoca diffinitione ani-

animam in communi, quæ etiam complectitur rationalem, in ordine ad corpus illam definit, inquiens *Animam eſſe actum corporis*, & tex.24. in ordine ad operationes vitales, & phyſicas, dicens, *eſt principium cogitandi, ſentiendi, intelligendi, & ſecundum locum mouendi*. Sed de hac re fuſius in 1. de anima, vbi oſtendimus, cognitionem animæ rationalis, prout eſt forma naturalis corporis phyſici, in eoq; exiſtens, vt dans illi eſſe formale, & principium ſuarum operationum modo naturali, & phyſico, ad naturalem Philoſophum pertinere; cognitionem autem eius, prout eſt ſeparata, habetq; modum operandi diuerſum à modo operandi, quum habebat in corpore, vt colligitur ex Scoto quodlib.9. ad Metaphyſicũ per ſe pertinere, quamquã actualis ſeparatio à corpore nõ faciat ipsã omninò alienã à cõſideratione Philoſophiæ naturalis; quia ſeparata adhuc aptitudinẽ dicit ad informãdum corpus, vt docet Scot. in 3. diſt. 1. quæſt. 1. & diſt. 5. quæſt. 2. & quodlib. 2. & alibi præſertim in 4. diſt. 43. q. 2. Contemplatur igitur naturalis Philoſophia omnia quæ conſiderat, in ordine ad materiam ſenſibilem, & motum, vndè illa accidentia, quæ conſiderantur à Mathematico, Philoſophia naturalis conſiderat, vt ſunt accidentia, ac termini corporis naturalis, atque ſenſibilis, & Intelligentias, quas conſiderat Metaphyſicus, ſpeculatur in ordine ad motum; quamquam ipſæ non ſint propter hoc phyſicæ conſiderationis, vt ſubiectum, vel vt pars ſubiectiua, ex 2. phyſ. tex.71. & 73. tamen inquantùm mouentia phyſicè ſunt, ſub hoc prædicato, etiam à naturali ſcientia conſiderãtur, vt ait Ariſt. in 8. phyſ. ſcilicet, *determinandum eſt de primo motore, & primo mobili*; licèt non ſit hæc ſubſtantiarum ſeparatarum, & primi motoris perfectior, & immediata conſideratio, vt docet Scot. in Prologo quæſt. 3. V. & quodlib. 7. *§. tertia concluſio*, quia perfectior eſt cognitio, qua prima Intelligẽtia cognoſcitur, quod eſt neceſſe eſſe, prima cauſa, independens, primùm ens, &c. quàm cognitio, qua cognoſcitur, quod eſt primum mouens: ſicut demonſtrationes Metaphyſicæ, quibus demonſtratur primam cauſam eſſe, ex paſsionibus cauſatorum conſideratis in Metaphyſica, perfectiores, ac nobiliores ſunt, quàm demonſtrationes, quibus oſtenditur, primum mouens eſſe ex paſsionibus naturalibus: datur .n. ordo in demonſtrationibus quia ſicut datur ordo in demonſtrationibus propter quid, ex Scoto quodlib. 7. F. l. & R. Quænã verò harũ demonſtrationum ſint potiores, ac efficaciores ad demonſtrandum vnũ primum

Anima intellectiua per ſe de conſiderat. Phyſ.

Pulchrum dubium

entium

136

entium eſſe,non eſt præſentis negotij diſcutere, aliàs enim nimis longè noſtra diſputatio protraheretur; de hac re tamen alio loco Deo duce, diſputabimus; & videnda ſunt, quæ in Prol. ſententiarum Scoti ſcripſimus: ſufficiat nobis, oſtendiſſe modum conſiderandi Phyſicæ ſcientiæ, prout à Mathematica, & Metaphyſica diſtinguitur, eſſe ſcilicet per ordinem ad materiam, & motum. Vtrùm verò radix diſtinctionis harum ſcientiarum realium ſit varius, ac diuerſus modus abſtrahendi à materia,ſunt qui affirmant cum D.Th.qui ex triplici genere, vel gradu abſtractionis venatur harum ſcientiarũ diſtinctionẽ. Nam Phyſica abſtrahit à materia ſenſibili ſingulari; quia ſingularium corruptibilium non eſt ſcientia, ex Ariſt. 7.metaph. tex.53. non tamen abſtrahit à materia ſenſibili in cõmuni, & ab ordine ad illam; ſed illa vtitur in ſuo ratiocinandi, ac diffiniendi modo; Mathematica verò abſtrahit à materia ſenſibili, non tamen à materia intelligibili; quia quantitas, quamuis abſtrahatur à materia, in qua eſt ex parte rei, non tamen concipi, & intelligi põt, niſi vt accidens corporeum, & materiale; Alij per hanc materiam intelligibilem genus intelligunt, quod in diffinitionibus Mathematicis ponitur: ſed hoc eſſe non poteſt; quia etiam in definitionibus Metaphyſicis ponitur genus, quod ex Ariſt.8.Metaph. rationẽ habet materiæ,ſicut differentia formæ. Metaphyſica denique abſtrahit à materia ſenſibili,& intelligibili nõ ſolùm ſecundùm diffinitionẽ, ſed ẽt ſecundùm eſſe: quia cõditiones entis,quas cõſiderat, inueniũtur in rebus ſine materia, & ideò in proprio, & obiectiuo cõceptu ſuo per ſe Materiã non includunt. Aliqui volunt,radicem huius diſtinctionis eſſe diuerſum modũ diffiniendi ex Ariſt.6.metaph. cap.1.tex.2. ſed hæc ſententia coincidit cum priori, quam nõ reijcimus. Hoc tamen eſt aduertendum,quòd tres illæ ſcientiæ in hoc conueniunt,quòd quælibet illarum abſtrahit, quatenus cõſiderant de rebus in vniuerſali: differunt autẽ in abſtractione quaſi formali,& præciſiua à materia,&c. His omnibus poſitis.

Alia dubitatio. *Sententia D. Tho.* *Aliorum dubitatio.* *Not.*

Dico primò. Ens mobile,prout à prioribus Thomiſtis exponitur, non eſt primum, & adæquatum Philoſophiæ naturalis ſubiectum.

Prima Aſſertio:

Probatur hæc aſſertio, primò quoad ſubiectum materiale, ſecundò quoad ſubiectum formale, tertiò quoad vtrumque. Oſtenditur igitur prima pars. Si.n. ens, quod ſecundùm hos Thomiſtas eſt quid communius corpore naturali: pro ſubiecto Philoſophiæ naturalis ſtatui deberet, hoc ideò eſſet, quia

Probatur Aſſertio quoad primã partẽ.

tale ens eſt adæquatum primæ paſsioni Phyſicæ, ſcilicet mobilitati: atqui ens, vt eſt quid communius corpore naturali, mobilitatem excedit; ergò tale ens non põt pro ſubiecto Philoſophiæ naturalis conſtitui. Maior eſt Thomiſtarum. Probatur minor; quia ad plus ſe extendit ens, quàm mobilitas; nam ens de materia, & forma dicitur, quæ non ſunt mobiles. Non

Hoc idem probat D. Thom. materia; quia ſubiectum motus ex Ariſt. 5. phyſ. tex. 9. eſt ens in actu completo; non ſic eſt materia: præterquamquod hoc idem à D.Th. probatur in tract. de materia prima cap. 1. quã-quam rationes eius difficultatem patiantur.

Inſuper omne, quod mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem, ex Ariſt. 6. phyſ. tex. 32. Inductio autem formæ ſubſtantialis in materiam eſt inſtantanea, cùm generatio ex Ariſt. ſit inſtantanea alioquin inter ſpecies

Optima doctrina Auctor ex Ariſt. motus ab eo connumerata fuiſſet; cuius oppoſitum colligitur ex 5. 6. & 7. phyſ. & 1. de generat. hinc ait; *nihil in generatione moueri*; & licèt 3. phyſ. tex. 6. dicat, *generationem eſſe actum rei generabilis, ſicut alteratio alterabilis, & latio mobilis ſecundùm locum*; non tamen eſt actus materiæ, quia materia non generatur, ex Ariſt. 1. phyſ. tex. 82. eſt autem actus compoſiti, vt termini eius totalis; eſt tamen in ratione mutationis actus materiæ, vt ſubiecti: nihilominùs huiuſmodi materiæ mutatio non eſt per ſe, & propter ſe à natura intenta, ſed rõne compoſiti generandi, & ratione imperfectionis potentiæ generatiuæ agẽtis, quæ nõ poteſt dare eſſe totale primò termino generationis; ſed neceſſe eſt, vt alterã eius partẽ tranſmutet à priuatione ad formam: ergò ſicut accidit generationi, vt ſit cum mutatione, ita accidit, vt materia rõne priuationis, & formæ in generatione mutetur. Nec forma mouetur; tùm quia non eſt ſubiectum motus, & mutationis; tùm quia eſt terminus motus, & mutationis; terminus autem motus, & muta-

Locus eſt immobil. tionis nõ mouetur; alioquin locus, qui eſt terminus motus localis, moueretur, quod eſt falſum ex Ariſt. 4. phyſ. dicente; *Locus eſt vltima ſuperficies corporis cõtinentis immobilis primò.* Confirmatur; quia ſub hoc ente non ſolùm cõtinerentur præter corpora, materia, & forma, verùm ẽt accidentia naturalia; de quibus ad Philoſophũ naturalem conſiderare ſpectat, prout ſunt termini corporis naturalis; accidentia autem, ſicut naturaliter non ſunt ſeparabilia à ſubiecto, ita nec mobilia.

Euaſio. Si dicatur, quòd per mobile contrahitur illud ens, vt ſupponat tantùm pro eo, quod eſt propriè mobile, & de quo poteſt

verificari motus. Contra: ergò cum propriè mobile ſit tantùm corpus naturale, ens nō erit quid cōmunius corpore naturali; & conſequenter idem erit aſſerere, ens mobile eſſe ſubiectum, & aſſerere, corpus naturale, de quo primò mobilitas verificatur, eſſe ſubiectum, quod eſt contra ipſos. *Reijcitur.*

Secundò argumentantur alij. Si ens mobile, vt eſt quid corpore abſtractius, & communius, eſt ſubiectum, ſequitur, quòd Philoſophia naturalis non ſit diſtincta à Metaphyſica, vel ſi diſtincta ſit, quòd ſit ei ſubalternata; atqui vtrumque eſt falſum: ergo ens mobile non poteſt conſtitui pro ſubiecto Philoſophiæ naturalis. Probatur conſequentia: quia ens mobile immediatè eſt inferius reſpectu entis, quod eſt Metaphyſicæ obiectū: ergò vel eſt inferius quidditatiuè, ſicut ſpecies eſt inferior ad genus & tunc eadem erit ſcientia de ente, quæ eſt Metaphyſica, & de ente mobili, quæ eſt Phyſica; ſicut eadem eſt ex Ariſt. ſcientia de genere, & de ſpecie 1. poſt. tex. 42. Si verò ſit inferius accidentaliter, diſtincta quidem erit à Metaphyſica, ſed ei ſubalternata, cùm addat differentiam accidentalem ſolùm ſupra obiectum adæquatum Metaphyſicæ, ſcilicet mobilitatem. *Secunda ratio aliorum pro aſſertione.*

Reſpondent Thomiſtæ cum Caiet. quòd quamquam ens mobile ſub ente, quod eſt Metaphyſicæ obiectū contineatur quidditatiuè, ſiuè vt pars ſubiectiua eius; nihilominùs ob id nō ſequitur, eandem eſſe ſcientiam de vtroque; quia non eſt eadem ſcientia de genere, & ſpecie, niſi quando ſpecies, & genus ſub eadem abſtractione à materia contineātur; ſi verò ſub diuerſa contineantur, neceſſe eſt ad diuerſas quoque ſcientias pertinere; & ita eſt, quòd ens, quod eſt Metaphyſicæ obiectum, continetur ſub ſupremo gradu abſtractionis .ſ. à materia ſenſibili, & intelligibili; ens mobile verò cōtinetur in infimo gradu abſtractionis, quia ſolùm abſtrahit à materia ſingulari, non autē à materia ſenſibili. Eius rei exemplum eſt de quantitate, quæ licèt quidditatiuè ſub ente contineatur: non tamen ad Metaphyſicam, ſed ad ſcientias Mathematicas propter diuerſum modum abſtrahendi à materia pertinet. Mobilitatem verò habere rationem conditionis accidētalis; nullo modo eſſe pōt; quia conditio talis accidentalis perſeitatem, & extraneitatem ſimul reſpectu illius obiecti exigit, quod reſpectu entis non eſt poſsibile, cùm nihil extraneum ſit ab ente. *Solutio Thomiſtarum.*

Vt verùm fatear, ſolutio optima eſt; non enim ſemper eadem eſt ſcientia de genere. Et ſpecie, licèt ſcientia de genere ad ſcientiam de ſpecie prærequiratur; non enim quis ſcire per- *Iudicium Authoris de præfata ſolut.*

ſeĉè poſſet, hominem eſſe riſibilem, niſi priùs ſciret, ipſum eſſe animal rationale. Nec ad hoc, vt aliqua ſciētia alteri ſubalternetur, ſufficit, vt obieĉtum vnius ſcientiæ ſub obieĉto alterius ſcientiæ cōtineatur; vt reĉè docet Scot. in Prolog. qu. 3. collaterali 4. *§. ad ſecundam quæſtionem:* ſed requiritur, vt ſub eo contineatur, & addat ſuper obieĉtum formale ſcientiæ ſubalternantis accidentariam conditionem, & quòd accipiat principia ſua à ſcientia ſubalternante. Nihilominùs contra hanc reſponſionem ſic arguitur. Primaria, ac formalis ſcientiarum diſtinĉtio nō eſt à modo diuerſo abſtraĉtionis, ſed eſt ab obieĉto; ſicut enim ſcientiæ eſſe habent ab obieĉtis, ſic vnitatem, & diſtinĉtionem, quāquam etiā à modo diuerſo abſtraĉtionis ſumi poſsit, vt ſuperiùs diĉtum eſt, ſicut etiam interdum ſumitur ſcientiarum diſtinĉtio penès diuerſas paſsiones, licèt à poſteriori, aliquando penès principia ſubieĉti adæquati; demùm penès partes ſubieĉtiuas; primaria nihilominùs, ac formalis diſtinĉtio penès diuerſa obieĉta formalia accipitur. Modò ens, quod eſt ſubieĉtum in Metaphyſica, eſt ſubieĉtum ſub hac formali rōne, quatenus ens, ſiue ſub ratione entitatis; Phyſica autem naturalis cùm ſit de ente, addit ſupra rōnem illam formalem entis mobilitatē, quæ eſt differentia accidentalis; ergò hac ex parte naturalis Philoſophia ſubalternatur Metaphyſicæ, quod etiam tetigit D.Th. in traĉt. de natura gener. cap. 13. quamquam Caiet. neget, illum traĉtatum eſſe D.Th. de qua re non ſum admodum ſollicitus.

Reijcitur tamen.

Caiet. negat illum traĉt. eſſe D. Thom.

Prob. Aſſert. quo ad ſecundā partē.

Quòd autem mobilitas non ſit formale Phyſicæ ſubieĉtum, probatur primò. Quia ſi Philoſophia naturalis de mobilitate, quæ eſt quædam paſsio, eſſet vt de formali ſubieĉto, ſiue eſſet de ea, vt de ratione formali ſubieĉti phyſici, non liceret Philoſopho naturali conſiderare de quodquid eſt ſui ſubieĉti adæquati, quod eſt priùs mobilitate. Conſequentia patet, quia quidquid conſideratur in aliqua ſcientia non excedit, nec eſt prius ratione formali ſubieĉti: quodquid eſt autem phyſici ſubieĉti eſt prius mobilitate, vt notum eſt; & conſequenter conſideratio Philoſophiæ naturalis ad ſubſtantiam non ſe extenderet, ſed tantùm ad mobilia, vt præcisè mobilia: cuius oppoſitum docet Ariſt. 6. metaph. tex. 3. vbi inquirit, *An ſi ſola ſubſtantia ſenſibilis eſſet, Phyſica eſſet prima Philoſophia, &c.* Ergo Philoſophia conſiderat de ſubſtantia. Et patet 8. metaph. tex. 1. & 12. metaph. tex. 5. & 29. & cap. 1. dicit quod Metaph. tot ſunt partes, quot ſunt ſubſtantiæ. Confirmatur. Nam ſi mobilitas

litas eſſet ratio formalis ſubiecti phyſici, Philoſophia naturalis non eſſet perfectiſsima ſciētia ſpeculatiua: vltra quod aliā ſupponeret priorem de eodē ſubiecto conſiderantē; hoc autē eſt falſum; ergò,&c. Probatur: nā cognitio ſubiecti ſecundùm ſuam paſsionem eſt tantùm per accidens cognitio; quia propria paſsio eſt accidens ſubiecti: & vlteriùs: cognitio ſubiecti ſecundùm paſsionem ſupponit cognitionem quidditatiuam, ac eſſentialem eiuſdē ſubiecti; omnis enim paſsio rōnem formalē ſui ſubiecti ſupponit à qua profluit, ex Scoto quæſt.3.Prologi, & quodlib.7. *§. De ſecundo,* Principium autem mobilitatis non eſt niſi ipſa natura, vel naturalitas: ergo ad aliam ſcientiam ſpectat conſiderare de naturalitate, & ad aliam de mobilitate, quæ omnia ſunt abſurda: etenim ad eandem ſcientiā pertinet, conſiderare de rōne formali,& quidditatiua ſubiecti,& de paſſione conſequente illam; ergo mobilitas nullo modo pōt poni ratio formalis ſubiecti phyſici. Quòd autem Phyſica non eſſet perfectiſsima ſcientia; ſi eſſet de mobilitate, quæ eſt paſsio, tāquam de rōne formali ſui ſubiecti,probatur ex Ariſt.7. met. tex.4. dicente, *& ſcire tunc ſingula putamus quando quid eſt homo cognoſcimus, aut ignis, magis quàm,aut quale,aut quantùm,aut vbi,&c.* & addit Ariſt. quòd propiè dicitur tūc ſcire, quando quid ſit,quale, aut quantum, aut vbi cognoſcit: igitur cognitio quodquid eſt rei perfectior eſt, quàm cognitio qualis ſit rei. Phyſica autem non ſolùm quale ſit ſubiectum ſuum cognoſcit, ſed quid ſit; ſecundùm mobilitatem autem eſt quale, non quid.

Secundò ſic principaliter. Ratio formalis ſubiecti eſt principium demonſtrandi quamcūque paſsionem de ſubiecto,eſtq; prior cōſequentia illis,& nō demonſtratur ſaltem in illa ſcientia,ſed ſupponitur ex Ariſt.1.poſt.tex.2. *De ſubiecto enim quid, & quia præſupponitur*: ſed mobilitas non eſt prior omnibus paſsionibus ſubiecti phyſici, nec eſt ratio demonſtrandi omnes paſsiones illius,& demum demonſtrari pōt de eo: ergò nō eſt ratio formalis ſubiecti phyſici. Probatur minor, quoad omnes partes: nam quantitas, qualitas, & vbi priùs inſunt ſubiecto phyſico, quàm motus ad quantitatem,qualitatem,& vbi; nam prius eſt corpus quantum, quàm quale, & priùs eſt in loco, quàm localiter moueatur. Secūda pars probatur,quia per paſſionem poſteriorem non pōt demonſtrari paſsio prior; Item etiam, quia ratio formalis ſubiecti continet virtualiter ipſam paſsionem, quæ demonſtratur de ſubiecto; vna paſsio autem

Secunda ratio. *Prima pars.* *Secunda pars.*

aliam

Duplex immediatio cauſæ, & effect. aliam non continet; quamquam vna immediatior ſit ſubiecto, quàm alia, non immediatione cauſæ, ſed effectus. Tertia pars probatur, quia mobilitas demonſtrari pōt de ſubiecto philoſophiæ naturalis, ſic. Omne habens internum principium motus, & quietis, eſt mobile: ſed corpus naturale habet internū principium ſui motus, ideſt naturā; ergò corpus naturale eſt mobile. Maior, & minor ſunt Ariſt. paſsim in 2. phyſic. cap. 1. & 1. de cælo, &c. Ratio autem formalis ſubiecti non poteſt à priori oſtendi de ſubiecto in ſcientia, ſed ſupponitur. *Probatur tert. pars.*

Vltimò probatur aſſert. quoad vtrumque. Denique probatur aſſertio, quoad vtrumque ſubiectum ſcilicèt tàm formale, quàm materiale. Ex paſsione, & ſubiecto nō fit vnum per ſe, ſed per accidens, ſicut ex ſubiecto, & accidente; atqui aggregatum per accidens non pōt poni ſubiectum in aliqua ſcientia, ergò neque aggregatum ex ſubiecto, & paſsione poteſt poni ſubiectum in aliqua ſcientia; ſed ens mobile dicit aggregatum ex ſubiecto, & paſsione, ergò non poteſt poni ſubiectum in Philoſophia naturali. Minor primi Syllogiſmi eſt Ariſt. 5. & 6. metaph. quibus in locis docet, quòd de ente per accidens non eſt ſcientia: præſertim in 6. tex. 4. hoc duabus rationibus probat; quemadmodum nec de eo eſt diffinitio, ex 7. metaph. tex. 11. cuius autem non eſt diffinitio, non eſt ſcientia, quia demonſtrationis principium ex Ariſt. 1. de anima tex. 11. eſt, quid eſt. Quòd autē par ratio ſit de aggregato ex ſubiecto, & paſsione, & de aggregato ex ſubiecto, & accidēte, patet per Ariſt. 7. metaph. vbi ſupra, etiam ſecundùm expoſitionē D. Th. ibi enim docet, quòd ſuperficiei albæ nō eſt diffinitio, quia alia eſt ratio albi, alia verò ratio ſuperficiei: & quamquam paſsio per ſe dicatur de ſubiecto, nihilòminus alia eſt ratio ſubiecti, alia verò ratio paſsionis, ita quòd huius aggregati non eſt vna diffinitio. Confirmatur quia ſcientia ſubalternata, in qua pro ſubiecto aliquod vnum per accidens conſtituitur, nō eſt prima ſcientia, ſed duas alias ſupponit: vnam, quæ conſiderat de ſubiecto, & aliam, quæ conſiderat de illa accidentali conditione ſuperaddita ſubiecto; ergò ſi Philoſophia naturalis eſſet de ente mobili, eſſet ſubalternata ſcientia, & non prima.

De ente per accidens nō eſt ſcientia. *D. Th. expoſit. opt.*

Secunda pars cō Caiet. probatur primò. Dico ſecundò. Ens mobile, prout à Caiet. exponitur, non eſt adæquatum Philoſophiæ naturalis ſubiectum. Probatur: nam ens mobile ſecūdùm Caiet. quod pro ſubiecto Philoſophiæ naturalis ſtatuitur, idē eſt, quod ens ex materia, & forma cōpoſitum; quia id, quod verè fit ex Ariſt. 7. metaphyſ. tex. 26. 27. & 32. non eſt materia, nec forma, ſed compoſitum ex his: ergò

cælum non eſt pars ſubiectiua ſubiecti phyſici, nec per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis. Conſequentia probatur primò; quia cælum non eſt compoſitum ex materia, & forma phyſica; quia talis eſt illa, quæ eſt cauſa generationis, & corruptionis rei: cælum autem eſt ſimplex in ſententia Ariſt. 1. de cælo, ingenerabile, & incorruptibile, ergò talem materiam phyſicam non habet. compoſitum autem, quod verè fit, ſiue generatur, eſt compoſitum ex materia, & forma phyſica, vt patet ex his, quæ docet Ariſt. 7. metaph. vbi ſupra, & 8. metaphyſ. tex. 3. & D. Th. in expoſitione, ſi D. Th. eſt illa expoſitio, quod relinquo iudicio Thomiſtarum. *D. Tho. expoſitio.*

Secundò ſpecialiùs probo aſſertionem. Hoc ens mobile, vt exponitur à Caiet. vel eſt idem, quod corpus naturale, vel eſt figmentũ, vel ſaltem ex eius poſitione incommoda ſequuntur. Probo primum, quia ens compoſitum ex materia, & forma eſt corpus naturale, licèt non è contra ſecundùm noſtram ſententiam. Probatur: omne corpus naturale aut eſt compoſitum ex materia, & forma, aut eſt ſimplex, vt cælum: ens autem mobile à Caiet. expoſitum eſt ipſum compoſitum ex materia, & forma: ergo idem eſt cum corpore naturali ex materia, & forma compacto, & cum eo conuertitur, quamuis non cum corpore naturali in communi. Secundum probo, quia ipſe ait, hoc ens mobile eſſe quid commune, ad compoſitum ſubſtantiale, & accidentale ſe extendens; quia nihil eſt pars ſubiectiua eius, niſi ſit propriè ens, & mutabile mutatione phyſica: tunc ſic argumentor: hoc ens mobile vel eſt in prædicamento, vel tranſcendit omnia prædicamenta: ſi in prædicamento, vel ſubſtantiæ, vel accidentis; ſi ſubſtantiæ, ergò non ſe extendit ad compoſitum accidentale; ſi in prædicamento accidentis, ergo non eſt commune ad compoſitum ſubſtantiale. Si tranſcendit, ergò cõplectitur etiam Angelos, qui in prædicamento ſubſtantiæ ſunt, etiam ſecundùm D. Th. Probatur hæc cõſequentia; quia quod prædicatur de genere, prædicatur etiam de ſpecie, ſecundùm illam regulam anteprædicamentalem, .ſ. quidquid prædicatur de prædicato, &c. hoc autem eſt falſum; ergò eſt figmentum tale ens mobile poſitum à Caiet. Sequuntur præterea incommoda ex illius poſitione; quia licèt accidentale compoſitum ſecũdùm quid generetur ex Ariſt. 7. metaph. vbi ſupra, 5. phyſ. & 1. de gener. non tamen eſt aliquo motu phyſico mobile; quia vel ad vbi, vel ad quale, vel ad quantum; ad nullum iſtorum per ſe mouetur, quæ verò ſunt per accidẽs, reijciuntur ab arte; *Secundò.* *Regula antepradicament. ex opin. Caiet. in cõment.*

non enim ad vbi mouetur lignum album, ſed lignum, cui accidit, prout mouetur, quòd ſit album, &c. conſulite Ariſt. 5. phyſ. text. 1. vbi hæc habet verba: *Mutatur autem, quod mutatur omne; hoc quidem ſecundùm accidens, vt cùm dicimus muſicum ambulare, quoniam cui accidit muſicum eſſe, hoc ambulat.* Nec ad quantitatem; quia id, quod ad quantitatem mouetur, eſt id, in quo recipitur quantitas; non recipitur autem quantitas in toto per accidens, ſed in eo, quod eſt per ſe: ſicut nec conſequenter ad qualitatem; quia ſi niger ad albedinem moueatur, nigredo habebit rõnem termini à quo, non mobilis, ſicut albedo termini ad quem: id autem, quod mouetur eſt ſubiectum exiſtens ſub albedine. Teſtis ſit mihi Ariſt. in eod 5. tex. 3. qui ſic ait: *Omnis enim motus eſt ex quodã, & in quiddã; alterum enim eſt, quod primum mouetur, & in quod mouetur, & ex quo, vt lignum, & calidum, & frigidum; horum autem aliud quidem quod, aliud verò in quod, aliud autem ex quo, motus autẽ manifeſtum eſt, quòd in ligno eſt, non in forma, neque enim mouet, neque mouetur forma, aut locus, aut ipſum tantùm, &c.* Patet igitur ex Ariſt. ſi compoſitum accidentale ſit per ſe mobile, vt poſſit eſſe pars ſubiectiua eius, &c. Et quia Caiet. fortè vidit difficultates de compoſito accidentali, ſubinfert; dato quòd non ſe extendat ad accidentale compoſitũ, nihilominùs ens mobile, vt idem eſt, quod compoſitũ ſubſtantiale, quod verè ſit, eſt quid cõmunius corpore, & ſubſtantia naturali. Hoc etiam impugnatur; quia compoſitũ ſubſtantiale eſt verè compoſitum ex materia, & forma, & tale eſt corpus naturale, ſumẽdo corpus naturale pro compoſito ex materia, & forma: quia ſumendo in vniuerſali, ſic ens mobile expoſitũ à Caiet. eſt eo inferius. Exemplum illud, quod adducit de ſubſtantia rationali, eſt contra ipſum; quia licèt hoc prædicatum ſubſtantia, abſolutè conſideratum ſit communius animali, non tamen ſumptum cum differentia ſpecificante, tenendo, quòd rationalitas ſit ſolùm differentia animalis, non ſubſtantiæ abſolutæ: vndè cognito, quod homo ſit ſubſtãtia rationalis, ſtatim cognoſcitur, quòd eſt animal rationale; imò ſupponit rõnem illius differentiæ ſpecificantis, ſtatim pro homine, qui eſt inferius ad animal: talia enim ſunt ſubiecta, qualia permittunt eſſe eorum prædicata: ſicut hoc ſubiectum, homo currit, ratione prædicati ſupponit tantùm pro homine currente. Nulla eſt igitur Caiet. poſitio.

Caiet. videns difficultates de compoſito accidẽtali aliud ſubinfert. Impugnatur.

Tertia Aſſertio.

Dico tertiò. Corpus mobile non eſt primum, & adæquatum

Phi-

Philoſophiæ naturalis ſubiectum, ſi per mobilitatem intelligamus aptitudinem ad motum. Probatur: quia aptitudo ad motum eſt paſsio corporis: omnis autem paſsio eſt demonſtrabilis de ſuo ſubiecto: ergo non poteſt eſſe ratio formalis ſubiecti phyſici, per quam omnes paſsiones demonſtrantur de ſubiecto illo in tali ſcientia, Et ipſa non demonſtratur, ſed ſupponitur. *Probatur.*

Denique eiſdem rationibus, quibus probauimus mobilitatem non eſſe rationem formalem ſubiecti phyſici, in prima aſſertione, probari poteſt hæc aſſertio.

Dico quartò. Corpus compoſitum ex materia, & forma, ſiue, quod idem eſt, corpus generabile, & corruptibile, non eſt ſubiectum in Philoſophia naturali. Hæc aſſertio patet ex dictis in notabilibus, vbi inter alia probauimus, quod ex hac opinione ſequeretur, cælum non eſſe corpus naturale, & eius conſiderationem non niſi per accidens ſpectare ad Philoſophum naturalem: quia nihil per ſe conſideratur in aliqua ſcientia, niſi ſit principium, vel pars ſubiectiua, vel paſsio ſubiecti adæquati. Cælum autem hac opinione data, non eſſet principium (vt patet) corporis naturalis, niſi effectiuum; quod non eſt ad propoſitum; quia ſic DEVS, quia eſt primum efficiens prima cauſa, & independens, ſpectaret ad Philoſophum naturalem: cuius oppoſitum eſt verum, quia ſpectat ad Metaphyſicum ſub talibus prædicatis. Nō eſſet pars ſubiectiua eius (vt patet) quia cælum eſt ingenerabile, & incorruptibile, & ſimplex per negationem compoſitionis ex materia, & forma, vt probatum eſt: quia non ſtat, quòd aliquid habeat materiam, & formam, & quòd non ſit ab intrinſeco corruptibile, Quòd autem cælum ſit per ſe de conſideratione Philoſophiæ naturalis, patet ex textib. Ariſt. 1. de cælo, 8. & 12. metaph. allegatis; tum quia eſt veriſsimè corpus naturale ex 1. de cælo; tùm quia veriſsimè eſt ſubſtantia naturalis, & ſenſibilis ad Philoſophum naturalem ſpectans, ex 8. & 12. metaph. tum quia paſsio phyſica, ſcilicet mobilitas, principaliùs de eo verificatur, ſicut principalior eſt motus eius inter cæteros ex 8. phyſ. & 1. de cælo. *Quarta Aſſertio. Probatur.*

Dico quintò. Corpus naturale vniuersè ſumptum, prout naturale eſt, adæquatum, & primum ſubiectum Philoſophiæ naturalis conſtituitur. Aſſertio eſt Scoti 6. metaph. quæſt. 1. quo in loco Scotus probat ſubſtantiam finitam corpoream naturalem eſſe adæquatum Philoſophiæ naturalis obiectum, ex ſufficienti diuiſione ſcientiæ ſpeculatiuæ, quam tradit Ariſtot. in *Quinta Aſſertio.*

Scoti doctrina, & diſcurſus præclariſſimus de diuiſione ſcientiarũ ſpeculabilium. cod. lib. cap. 1. in Phyſicam, Metaphyſicam, & Mathematicam, quia huiuſmodi ſcientiæ cõſiderant ſufficienter de omni ente, & de qualibet parte entis, quantum ad cognoſcibilia de eis lumine naturali intellectus. Ampliùs verſantur circa tria generica obiecta, quæ virtualiter, & in cõmuni continent notitiam omnium rerum ſpeculabilium; & vnum non continet virtute veritates alterius ſubiecti de eo ſpeculabiles, & ideò non ſunt plures, quàm tres. Quo fit, vt Scotus, & penès diuerſa obiecta ſpeculabilia, & penès hoc, quòd vnum obiectum non continet virtute veritates alterius ſubiecti, colligit illas eſſe diſtinctas eſſentialiter; ex diuerſo modo verò abſtrahendi colligimus illas eſſe diſtinctas accidentaliter. Vndè ſic philoſophatur Scotus. A quolibet ente ſpeculabili poteſt abſtrahi vnum commune, quod eſt ens; quia de non ente non eſt ſcientia. *Ex Ariſt.* 6. metaph. Hoc autem ens ſic cõmune eſt ſubiectum primum, & adæquatum alicuius ſcientiæ communis, & vniuerſalis; nam ſicut datur præter entia ſpecialia, ens in communi, ita præter ſpeciales ſcientias oportet dari ſcientiam quandam cõmunem, in qua in vniuerſali probentur omnia, quæ ſunt communia illis ſcientijs ſpecialibus, cuius obiectum primum erit ens in communi habens ſuas paſsiones de eo cognoſcibiles, & demonſtrabiles: & talis ſciẽtia eſt Metaphyſica, in qua entis in communi, & paſsionum eius traditur notitia; de qua re clarius in quæſtione de ſubiecto Metaphyſicæ. Sed ſicut dantur præter hanc ſcientiam cõmunem ſcientiæ ſpeciales, ſic oportet earum ſubiecta adæquata adinuenire. Sub ente autem in communi ſunt prædicamenta, de quibus etiam ad Metaphyſicum conſiderare ſpectat, vt in Logica oſtendimus. Oportet igitur inferiùs deſcendere aliquod genus diuidendo; non poſſum autem aliquod genus accidentis diuidere, quia quodlibet illorum virtualiter in ſubſtantia continetur, vel mediatè, vel immediatè: & ſic dicèt accidens ſuas paſsiones ſcibiles habeat, non tamen poteſt eſſe in aliqua ſcientia primum ſubiectum; accidentis .n. cognitio ſupponit cognitionem ſubſtantiæ, ex Ariſt. 7. metaph. tex. 4. dicente; *Multipliciter quidem igitur dicitur, quod primum; ſed ſubſtantia omnium primum eſt ratione, notitia, & tempore, &c.* Oportet ergò diuidere ſubſtantiam, vt obiectum *4. metaph. tex. 4.* primum alterius ſcientiæ à Metaphyſica habeatur. Diuiditur autem ſubſtantia in incorporeã, & corpoream: de incorporea Metaphyſicus, vt docet Ariſt. 6. metaph. tex. 3. 8. metaph. cap. 1. 12. metaph. tex. 5. & 29. conſiderat, ſubſtantia corporea verò eſt

talis conditionis, quòd ei abſolutè conſideratæ primò ineſt quantitas, ad quam poſtea multa ſequuntur, quæ omnia ſunt ſcibilia, & ſic ſubſtantia corporea quanta eſt ſubiectum ſcientiæ Mathematicæ: eadem autem ſubſtantia corpórea conſiderata, vt non contracta per aliquod accidens, ſed vt habens in ſe formam, quæ ſit principium determinatæ operationis, ideſt motus, & quietis, & habens multas paſsiones ſcibiles via ſenſus, in alia ſcientia pro ſubiecto conſtituitur, quæ Phyſica appellatur. Præter has tres ſcientias ſpeculatiuas alia non inuenitur, quæ ſub aliqua harum non contineatur. Ex hoc igitur diſcurſu Scoti clarè patet, quodnam ſit Philoſophiæ naturalis ſubiectum, nimirum ſubſtantia corporea naturalis, quod idem eſt, quòd corpus naturale vniuersè ſumptum, vt ſe extendit etiam ad cælum.

Probatur igitur Aſſertio ſimul authoritate, & ratione. Et in primis ex illo 1. de cælo, text. 1. vbi Ariſt. ſic ait. *Scientia de natura ferè plurima verſatur circa corpora, & magnitudines, aliaſque paſsiones, atque motus, adhuc autem circa principia, quæ talis ſubſtantiæ* (adde corporeæ) *ſunt.* Cuius rei rationem reddit; *natura enim conſtantium hæc quidem ſunt corpora, & magnitudines; hæc autem corpus habent, & magnitudines; hæc verò principia eorum, quæ habent, ſunt* vel, vt ait alius tex. *habentium ſunt.* Ex quo textu colligimus, ea omnia, quæ ad conſideratione vnius ſcientiæ ſpectāt, ex Ariſt. 1. poſt. tex. 179. dicente: *Scientia eſt vnius generis ſubiecti principia, partes, & paſsiones habentis.* Hæc omnia ſunt in propoſito (eſt enim corpus) circa quod Philoſophia naturalis, vt ſubiectum verſatur, ſunt etiam paſsiones eius, & principia ſubiecti, per quę oſtendi de eo illæ paſsiones poſſunt: habemus etiā rationem, cur igitur ad Philoſophum naturalem de ſubſtantia corporea conſiderare pertineat, quia talia corpora natura conſtant. Ergo naturalitas ipſa eſt ratio formalis, non tantùm quæ, vt aliqui concedunt, verùm etiam ſub qua ipſa corpora à phyſico cōſiderantur. Ergò prima ratio, ſub qua omnia cōſiderātur in Philoſophia, eſt naturalitas, ratione cuius ſunt aliqua mobilia; & alia ſunt principia corporis mobilis; & alia ſunt paſsiones eius, ex Ariſt. 2. phyſ. tex. 3. *Natura enim eſt principium motus, & quietis.* Vnde in text. 5. primi de cælo, & ſecundo phyſic. text. 1, 2. & 3. apertè Ariſtoteles dicit, quòd motus talibus corporibus conſideratis à Phyſico ineſt; quia cum natura conſtent, habent in ſeipſis internum principium motus, quod

Probatur Aſſertio.

Ratio quæ, & ſub qua.

 eſt

D. Tho. non diſſentit ab hac expoſit. eſt ipſa natura; à qua noſtra hac expoſitione, ſi legatur attentè D. Th. in expoſit. 1. text. 1. de cælo, nihil diſſentit.

Secundò. Secundò, ſubiectū ſcientiæ debet eſſe diffinibile; quia quod quid eſt ex Ariſt. 1. de anima, tex. 11. eſt principiū omnis demōſtrationis, & ſcientiæ; & ex 6. metaph. cuius non eſt diffinitio, non eſt ſcientia. Corpus autem naturale ab Ariſt. diffinitur 2. phyſ. tex. 3. & 1. de cælo: nimirum quod eſt id, quod habet internum principiū motus, & quietis. Etſi placet, ad hoc confirmandum D. Thom. authoritatem adducimus, qui in 2. phyſ. tex. 3. ſuper verba Ariſt. ſic ait: *Quòd principium motus naturalis eſt in corpore naturali, quod mouetur, inquantum mouetur*, & in 1. de cælo, tex. 2. ait, *quòd Ariſtotiles tradit definitionem corporis naturalis, vt ex illa perfectionem vniuerſi cōcludat*: idem dicit in expoſit. tex. 5. vbi inter alia dicit, *quòd motus non ſemper dicitur naturalis à principio actiuo, ſed etiā interdum à principio paſsiuo, ſecundùm quod corpus habet aptitudinem, vt ſic moueatur*: quod quidem principium paſsiuum præſertim ait eſſe in grauibus, & leuibus; & argumētum textus eſt tale ex D. Th. corpora naturalia ſunt, quæ habent naturam; ſed natura eſt principiū motus in eis, in quibus eſt; ergo corpora naturalia habent principium motus in ſeipſis.

Definitio corporis naturalis. D. Th:

Argu. tex. ex D. Th.

Tertia rō. Tertiò. Illud eſt ſubiectum Philoſophiæ naturalis, quod eſt adæquatum ſubiectum motus; atqui ſolum corpus naturale eſt ſubiectum adæquatum motus; ergò corpus naturale eſt ſubiectum Philoſophiæ naturalis. Maior eſt Thomiſtar, quia quamquam ipſi ſic dicant: illud eſt ſubiectum Philoſophiæ naturalis, quod eſt ſubiectum primæ paſsionis conſideratæ in Philoſophia naturali, quæ eſt mobilitas; minorem tamen quam ſubinferunt, probant per hoc, quod Ariſt. 3. phyſ. tex 6. dicit; quòd *Motus eſt actus entis in potentia; eiuſdem enim eſt actus, cuius eſt potentia*, ex 1. de ſomno, & vigilia. Minor eſt D. Th. 1. de cælo, in expoſitione 1. tex. vbi habet: *quòd ad naturalem pertinet conſiderare de corpore, inquantum eſt in genere ſubſtantia; ſic enim eſt ſubiectum motus*. Quibus verbis apertiſſimè aſſerit ſubſtantiam corpoream naturalem eſſe ſubiectum adæquatum motus, quia nil aliud ab ea per ſe moueri poteſt, vt patet ex his, quæ docet Ariſt. tex. 5. & D. Th. in expoſitione; qui inter alia ait, *quòd magnitudines naturales, vt ſuperficies, & linea, mouentur, ſed per accidens, motis corporibus naturalibus, quorum ſunt termini; corpora naturalia verò per ſe mouentur, & ſecundùm naturam*; & ad huius probationem cum

D. Th.

Ariſt.

Ariſt. definitionem naturæ inducit, nimirum, quia *natura eſt principium motus*, vt dicitur 2. phyſ. tex. 3. ex his ſic argumentatur D. Th. Corpora naturalia ſunt, quæ habent naturam, ſed natura eſt principium motus in ijs in quibus eſt; ergò corpora naturalia habent principium motus in ſeipſis. *Argumēt. D. Th.*

Quartò. Illud eſt ſubiectum in facultate aliqua, cuius principia in ea conſiderantur; ſed ſubſtantiæ corporeæ naturalis principia in Philoſophia naturali cōſiderantur: ergò ſubſtātia corporea naturalis eſt adæquatū ſubiectum Philoſ. naturalis. Maior eſt certiſsima ex Ariſt. 1. poſt. tex. 179. minor eſt D. Th. in expoſitione 1. tex. 1. de cælo dicentis. *Sed quia in qualibet ſcientia oportet conſiderare principia. Subiungit* (ſcilicet Ariſt.) *quòd naturalis ſcientia eſt circa quæcunque principia prædictæ ſubſtantiæ* ſcilicet *corporeæ mobilis*. Et probatur ratione: De ratione ſubiecti ex Ariſt. vbi ſupra, eſt, habere principia, partes, & paſsiones: corpus naturale habet hæc omnia; ergò eſt ſubiectum Philoſophiæ naturalis. Minor probatur: quia multa principia cognoſcendi habet, per quæ poteſt demonſtrari paſſio prima Phyſica de eo, ſcilicet mobilitas: non eſt enim neceſsè, vt habeat principia eſſendi, vt ſuperiùs dictum eſt cum Scoto in Prologo, quæſt. 3. Vndè poteſt ſic confici demonſtratio: quod enim naturam habet, eſt mobile; corpus naturale naturam habet: ergo corpus naturale eſt mobile. Maior eſt vnum ex principijs cognoſcendi, prout ab Ariſt. traditur 1. de cælo, tex. 5. & 2 phyſ. tex. 1. 2. & 3. Sicut etiā ex hoc alio principio poteſt eadem paſsio oſtendi, nimirum: quod habet in ſe internum principium ſui motus, eſt naturaliter, & per ſe mobile; corpus naturale habet in ſe internum principium ſui motus; ergo eſt per ſe, & naturaliter mobile. Maior, & minor ſunt Ariſt. locis ſupra allegatis: ex qua demonſtratione, ſicut ex alia priori nec latum vnguem diſcrepat D Th. in expoſitione textuali: vt exercitatis in D. Th. patere poteſt. *Quarta ratio. D. Th. expoſitio. Pulchra demonſtr. D. Th. non diſſentit.*

Quintò; & eſt probatio pro ratione formali ſubiecti. Illa debet eſſe ratio formalis ſubiecti, per quam propoſitiones de ſubiecto clariùs, ac formaliùs explicantur; & magis regulariter paſsiones de eo demonſtrantur; talis eſt naturalitas: ergò naturalitas eſt ratio formalis ſubiecti phyſici. Minor probatur: quia naturalitas importat naturam, quæ eſt principium motus; vel ſaltem importat id, quod habet in ſe principium motus, quod eſt natura; ex Ariſt. 2. phyſ. tex. 3. & 1. de cælo, vbi ſupra. Vndè valet ſic demonſtrare. Quod habet naturam, *Quinta ratio pro obiect. formali.*

 ſiue

ſiue quod eſt naturale, eſt mobile; corpus eſt naturale, ſiue habens naturã, ergo eſt mobile. Non tamen ſic: omne mobile eſt mobile, ſed corpus naturale eſt mobile; ergo corpus naturale eſt mobile; eſt.n. ridicula argumẽtatio. Vnde ſi quæratur, quare corpus eſt mobile: ſtatim reſpõdebis, ſi probè ſapis, quia eſt naturale; natura enim eſt principiũ motus, & quietis, &c. non autem, quia eſt mobile; eſt enim principij petitio.

Ridicula quorundã argumentatio.

Reſponſio Ruuij.

Reſponſio autem Ruuij, quatenus dicit, quòd non eſt neceſſarium, obiectum ſcientiæ omnes paſſiones exprimere; quæ de illo demonſtrantur in ſcientia, ſed ſatis eſt, exprimere præcipuam ab omnibus participatam, cæteras autem virtualiter continere. Et ita eſt, quod ens mobile præcipuam exprimit, ſcilicet mobilitatem; & hanc non ita expreſsè dicit ens naturale. Hæc reſponſio, inquam, nulla eſt, vt patet ex ratione; quia ſi quæratur, quare corpus eſt mobile, quare inſit illi hæc paſſio, ſcilicet, mobilitas; tunc enim ex Ariſt. arbitramur cognoſcere, cùm cauſam rei cognoſcimus, 1. poſterior. tex. 5. & 1. phyſ. tex. 1. & alibi. Non enim rectè reſpondetur huic interrogationi, ſi dicatur, quia eſt mobile; ſed vtique, quia eſt ens naturale, ſiue corpus naturale, ſiue habens naturam; omne enim tale eſt mobile; ſicut omne animal rationale eſt riſibile; nec dicimus nos, quòd in obiecto paſsiones exprimi debeant, ſed principium formale illarum; per quod poſtea paſſiones in ſcientia de ſubiecto demonſtrentur.

Reijcitur.

Satis ſit argumẽt. pro alijs ſententijs adductis.

Vndè ad argumenta Thomiſtarum, ac etiam Modernorum reſpondendum eſt, vt quæſtioni finem imponamus.

Ad primã auctorit.

Primæ igitur Ariſt. authoritati ex 6. metaph. reſpondetur, quòd per illud ens, quod poſſibile eſt moueri, idem intellexit, quod corpus naturale; cùm nil aliud ab eo ſit poſſibile per ſe moueri: ſolùm enim corpus, vel ſubſtantia corporea naturalis habet in ſe principium, quo poteſt moueri, vt ſæpè ex Ariſt. & D. Th. dictum eſt. Quæ reſponſio non eſt contra textum, ſi D.Th. expoſitio eidem textui non aduerſatur; ait enim ibi ſic: *Dicit ergo primò, (*ſcilicet Ariſt.*) quòd ſcientia naturalis non eſt circa ens ſimpliciter, ſed circa quoddam genus entis, ideſt circa ſubſtantiam naturalem, quæ habet in ſe principium motus, & quietis, &c.* hæc D. Th. ſubſtantia naturalis autem non eſt niſi corpus naturale, vt omnibus patet ex dictis ſupra, etiam cum D. Th. hinc Scotiſtæ cum Caiet. aiunt, mobile interdum importare ſubiectum motus; interdum aptitudinem ad moueri, quæ eſt ipſa paſsio, ſcilicet mobilitas; interdum principium,

Quid per mob. Caietan. & Scotiſtæ intelligũt.

pium, & radicem illius aptitudinis, quod eſt ipſa natura; nam quod aliquid ſic, vel ſic aptum natum ſit moueri, à natura habet, etiam ex D. Th. 1. de cælo in expoſitione primi capitis, & ſecundi. In propoſito ſumitur non pro paſſione, ſiue aptitudine ad moueri; ſed pro fundamento, & radice eius, vt etiã concedunt Caiet. & Rou. ideſt pro naturalitate ipſa.

Ad ſecũdã authorit. reſponſio.

Ad aliam authoritatem ex 3. phyſ. reſpondetur, quòd ibi nomine entis Ariſt. intelligit id, quod poteſt eſſe ſubiectum motus: tale non eſt, niſi corpus naturale habens in ſe principium motus, & quietis, vt ſuperiùs ex D.Th. etiam oſtendi.

Ad omnes authorit. Ariſt.

Et ſic reſpondendum eſt ad omnes Ariſt. authoritates, etiam ſi eſſent mille; quia nullius poteſt motus eſſe actus, niſi corporis habentis in ſe illius motus principium, & mobilitas per ſe de nullo poteſt oſtendi, niſi de corpore naturali, vt ſæpè demonſtratum eſt.

Ad primã Caiet. rationem.

Ad primam rationem, quæ eſt Caiet. reſpondetur, quòd ſubiectum, quod ponitur in definitione motus, vt dictum eſt ſuperiùs, eſt id, cui poteſt conuenire motus; tale non eſt; niſi corpus naturale habens in ſe internum principium ſui motus; & quia tale corpus naturale poteſt conſiderari, vt eſt in actu completo, & vt eſt in potentia ſecundum quid, ſcilicet ad formam accidentalem, ideò Ariſt. declarat, quòd motus eſt actus entis in actu completo, non inquantum eſt in actu, ſed ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam eſt in potentia ad talem motum.

Corpus naturale eſt id, cui primò cõuenit motus.

Soluitur aliud ſimile Thomiſt. argum.

Et ita reſpondetur ad aliud argumentum aliorum Thomiſtarum, quod quidem cum illo Caiet. coincidit; quòd ſubiectum primæ paſsionis phyſicæ eſt ens, cui poteſt conuenire motus, & mobilitas per ſe; tale autem eſt ſolum corpus naturale, vt ſæpè etiam cum D. Thom. dictum eſt: hoc enim eſt ſolum, quod poteſt moueri, & eſſe ſubiectum motus; ſic etiam intelligenda eſt illa vniuerſalis ſuppoſitio Ariſt. 1. phyſ. text. 11. *Supponatur nobis omnia, aut quædam entia moueri, ideſt*, corpora moueri, &c. quia corpora tantùm per ſe mouentur.

Solutio ſecũdi argum. Thomiſt.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd ſubiectum ſcientiæ debet eſſe adæquatum illi, & quòd omnia in tali ſcientia conſiderata ad ipſam reducantur, vel vt principia, vel vt partes, vel vt paſsiones; modò materia, & forma ad ipſum corpus naturale, etſi non vniuerſè ſumptum, ad corpus generabile & corruptibile, quod eſt pars ſubiectiua corporis in communi reuocantur, ſicut principia eius; ſicut etiam dicit Caietanus ex

D.T.

D. Th. ſunt enim materia, & forma principia entis mobilis, id eſt corporis naturalis, quod poteſt moueri.

Soluitur ſecũda rõ principalis Caiet. Ad ſecundam rationem principalem, quæ eſt Caiet. reſpondetur, concedendo maiorem, nimirum quòd adæquatum ſubiectum primarum paſsionum eſt adæquatum Philoſophiæ naturalis ſubiectum. Sed negatur minor, quòd ſcilicet ens mobile, & non corpus naturale eſt tale ſubiectum; ſi per ens mobile intelligat quid aliud à corpore naturali; vt ipſemet videtur dicere.

Nota. Ad probationem reſpondetur, quòd mobilitas habet pro principijs materiam, & formam, & priuationem in iſtis inferioribus, in quibus eſt materia, forma, & priuatio; non autem mobilitas abſolutè conſiderata, prout dicitur de quocunque naturali corpore, habet huiuſmodi principia, ſed tantùm proportionaliter, vt videtur innuere Ariſt. 12. metaph. à tex. 18. vſque ad 28. nulli enim dubium eſt, quòd quæ mouentur, materiam habent, ex Ariſt. 11. metaph. tex. 10. & 8. metaphyſ. tex. 12. ſed non omnia, quæ mouentur eandem materiam habent, ſed aliam, & aliam: non diuerſæ rationis, vt ait D. Th. quia non datur niſi tantùm vna cauſa materialis, ſiue vna materia, ſed tantùm vndè, & quò in cæleſtibus, vt loquitur Ariſt. 8. metaph. tex. 12. & 12. metaph. vbi ſupra; & ex D. Th. in expoſitione, materia ibi ſumitur, ſcilicet in cælo, pro ſubiecto eo modo, quo ſubiectum dici poteſt materia; non tamen pro materia phyſica, & quando Ariſt. ait, quòd transmutationis principia ſunt materia, forma, & priuatio, 1. phyſ. 1. de gener. 8. phyſ. & 12. metaph. ſumit tranſmutationem ibi pro mutatione ſubſtantiali, id eſt generatione, & corruptione, quæ fieri nequeunt ſine materia, & forma, & priuatione; non loquitur autem de mutabilitate in communi.

D. Th. optima expoſitio, & auctorit.

Soluitur tertia rõ. Ad tertiam reſpondetur, quòd 6. phyſ. tex. 32. propriè non oſtenditur, niſi quòd omne, quod mouetur, eſt diuiſibile; non ſolùm autem diuiſibile eſt corpus, ſed etiam linea, & ſuperficies; nihilominus propriè de corpore ibi ſermo eſt, quod eſt diuiſibile, vndequaque, id eſt, ſecundùm omnem dimenſionem, & nihil aliud oſtendit ibi Ariſt. niſi quòd omne mobile eſt corpus, quod poteſt fieri à poſteriori. Neque hoc habeo pro inconuenienti; ſicut naturam eſſe demonſtrari poteſt per motum à poſteriori, ex 3. phyſ. cap. 1. vbi ait Ariſt. *Ignorato motu, neceſſè eſt ignorare naturam*; & nihilominus motum eſſe eſt vnũ ex principijs philoſophicis, quæ ſũt nota in tali ſciẽtia.

Et

Et denique nos non ſuſtinemus, corpus mobile eſſe ſubiectum Philoſophiæ naturalis, niſi mobile ſumatur fundamentaliter, ſeu radicaliter; hoc autem non probatur, ſed ſupponitur.

Ad quartam rationem, quæ eſt Ruuij, reſpondetur, negando minorem; quia non ſolùm mobilitas eſt ratio, ſub qua aliqua conſiderantur in Philoſophia naturali, verùm etiam naturalitas, imò eſt prima ratio, vt patet ex dictis ſupra: præterquamquod ſubiectum formale ſubiecti ſcientiæ, per quam paſsiones de eo demonſtrantur, non habent rationem rationis formalis ſub qua, ſed quæ; & de hac eſt quæſtio in præſenti; hæc autem eſt naturalitas, non mobilitas, cùm ipſa ſit demonſtrata de corpore per naturalitatem. *Soluitur 4. ratio Ruuij.*

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur, quòd ipſa non concludunt, niſi per corpus mobile idem intelligant, quòd corpus naturale, ſumendo mobile pro radice, & fundamento mobilitatis, quæ eſt paſſio: & multò minùs concludit ſecundum argumentum, quia nos tenemus, quòd materia, & forma ſint partes eſſentiales corporis generabilis, & corruptibilis, non autem corporis vniuersè ſumpti; quod à nobis ſtatuitur pro ſubiecto adæquato Philoſophiæ naturalis. *Ad argu. 2. ſententiæ reſponſio.*

Ad rationem pro ſententia Modernorum reſpondetur, quòd illa maior eſt falſa; quia illud eſt ſubiectum, cuius principia quæruntur & conſiderantur in tota Philoſophia naturali; talia ſunt principia corporis vniuersè ſumpti; materia autem, forma, & priuatio ſunt principia corporis generabilis, & corruptibilis tantùm, ideò tale corpus non poteſt pro ſubiecto Philoſophiæ naturalis conſtitui. *Modernorum ratio ſoluitur.*

F I N I S.

Laus DEO, Beatiſsimæ Virgini, Franciſco, Bonauenturæ, & ANTONIO.

Impri-

E GO Fr. Stephanus de Luca Venuſinus Ord. Min. Conu. in Sapientia Romana Sac. Theol. Profeſſor, & PP. Theologorum Collegij Decanus legi de mandato Reuerendiſs. Patris Ioannis Baptiſtæ Berardicelli de Larino Art. & Sac. Th. Doct. ac Miniſtri Generalis vigilantiſs. Ord. Min. Conu. *Quæſtionem de Philoſophia naturalis obiecto*, editam ab Adm. Reu. & Doctiſsimo Patri Mag. Franciſco Antonio Blundo à S. Seuerino Seraphici Collegij Romani S. Bonauent. Rectore, ac Regente meritiſsimo, quam dignam cenſeo, vt in ſtudioſorum vtilitatem, & publicam commoditatem imprimatur; in quorum fidem Dat. Romæ die 20. Ianuarij 1637.

Fr. Stephanus qui ſupra manu propria.

FR. IO. BAPTISTA BERARDICELLVS Larinenſis Artium, & Sac. Theol. Doctor Vniuerſi Ord. S. Franciſci Min. Conu. Miniſter Generalis.

QVÆSTIO de obiecto adæquato naturalis Philoſophiæ à P. Mag. Franciſco Antonio Blundo de S. Seuerino in Collegio D. Bonauent. Regente edita, & à P. Mag. Stephano de Luca Venuſino Romanæ Sapientiæ Theologo diligenter noſtra auctoritate recognita. cùm ex eiuſdem teſtimonio nihil quod ſit contra fidem, ſeù bonos mores contineat, vt Typis mandetur ſeruatis ſeruandis facultatem concedimus. In fidem, &c. Dat. Romæ die 22. Ianuarij 1637.

F. Io. Baptiſta Miniſter Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

F. Bonauentura Veliternus Se-

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. P.Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A.Torniellus Viceſgerens.

EGO Odo de Comitibus è Societate Ieſu,iuſſu Reuerendiſsimi P. Mag. Fr. Nicolai Riccardi Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, legi *Quæſtionem de adæquato Philoſophiæ naturallis obiecto*, Auctore Admod. Reu. P. Mag. Franciſco Antonio Blundo à S.Seuerino Seraphici Collegij Romani S. Bonauenturæ Rectore, ac Regente meritiſsimo: cumque in ea nihil offenderim, quod catholicum, & pium Lectorem poſſit offendere: ac propterea totam eam quæſtionem Auctor curiosè, ac ſubtiliter nõ ſolùm ad mentem Ioannis Scoti, ſed ad veritatis trutinam examinet: dignam iudico publica luce; vt in quæſtione obſcuriſsima aliorum ingenia præluceat. Ex Collegio Romano Societatis IESV die 16. Ianuarij Anno 1637.

Imprimatur, Fr.Hyacinthus Lupus Mag. & Soc. Reuerendiſs.P. Mag. Sac.Pal. Apoſt.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE